



3545. III. B. S<sup>c</sup>





# CHRONOLOGIA

INCLYTI

## DUCATUS STYRIÆ,

AB

## OTTOCARO DUCE, I.

Ad excessum

## LEOPOLDI, II. DUCIS III.

Sive

Ab Anno MCLXXX. ad MCCXXX.

DEDUCTA,

Reverendissimis, Illustrissimis,

Admodum Reverendis, Per illustri-

bus, Prænobilibus, Nobilibus, Excellen-

Consistabatibus, ac Clarissimis ~~ceasir ad D:~~  
~~Josephum~~ DOMINIS, DOMINIS ~~ff~~ Eremit.

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIBUS

Dic: S: L: OBLATA, Augustini.

Cum per Reverendum Patrem,

OCTAVIUM BUCELLENI,

è Soc. JESU, SS. Theologiæ Doctorem, ejus-

démque in Alma ac Celeberrima Universitate Græcensi

Professorem Ordinarium, necnon designatum

Inclytæ Facultatis Theologicæ

PRO - DECANUM,

In Aulica, & Academica, ejusdem Societatis,

Divi Egidij Basilica,

Supremâ hâc Laureâ exornarentur,

Anno Salutis MDCCXX. Die III. Septembris.

---

GRÆCIJ, Apud Hæredes Widmanstadij,



0305657A

# N O M I N A

Dominorum, Dominorum

## SS. THEOLOGIÆ DOCTORUM,

Ordine, quo publicè pro supremâ hâc  
Laurea dispu:ârunt.

**A**Dm. Rever. Nob. Excell. ac Clariss.  
**A**Dom. JOSEPHUS PICKL, Carinthius  
Villacensis, Proto - Notarius Apostolicus,  
Parochus ad S. Florianum in Kirchberg ad  
Raabam, olim Archiducalis S. J. Convictorium  
Collegij Alumnus Gyriensis, AA. LL. &  
Philos. Magister, SS. Theol. Doctor.

Adm. Rev. Nob. Excell. ac Clariss. Dom.  
**J**OANNES BAPTISTA KURSKY, Austriae<sup>9</sup>  
Feldspurgensis, Parochialis Eccl. S. Georgij in  
Pürg, Styriæ Superioris in Valle Anasi Territorij  
Millestadiensis Parochus, olim Cæsarei  
Ferdinandæi Alumnus, AA. LL. & Phil. Magister SS. Theol. Doctor.

Adm. Rev. Nob. Excell. ac Clariss. Dom.  
**M**ARTINUS JOSEPHUS SCHÄFFER, Styruis Windensis, Celsis. & Reverendiss. S. R. I.  
Principis, & Episc. Seccov Secretarius, & Capellanus Aulicus olim Archiducalis S. J. Convictorum  
Collegij Alumnus Gyriensis, AA. LL. & Philos. Magister SS. Theol. Doctor.

Adm. Rev. Nob. Excell. ac Clariss. Dom.  
**J**ACOBUS JOSEPHUS JAMNIGG, Styruis Rastensis, ibidemque ad B. M. V. Parochus,  
olim Archiducalis S. J. Convictorum Collegij Alumnus Gyriensis, AA. LL. & Philos. Magister,  
SS. Theol. Doctor.

Reverendiss. Prænob. Excell. ac Claris. Dom.  
**MATTHÆLIS THOMAS FRANUL**, de  
WEISSENTHURN, Liburnus Fluminensis,  
Celsis. & Reveren. S. R. I. Principis, & Episc.  
Passav. Consiliar. Ecclesiast. ac ejusdem Cel-  
situdinis, Epheborum Præfectus, olim Archi-  
ducalis S. J. Convict. Coll. Alumnus Gyrien-  
sis AA. LL. & Phil. Magist. SS. Theol. Doctor.

Adm. Rev. Prænob. Excell. ac Claris. Dom.  
**GEORGIUS JOSEPHUS SCHRÖKINGER**  
de NEIENBERG, Carinthus ex Valle Rosa-  
rum, Proto-Notarius Apostol. Paroch⁹ con-  
firm. ad S. Barbaram in Wölla penes Anken-  
stein, olim Archiducalis S. J. Convictorum  
Collegij Alumnus Gyiensis, AA. LL. & Phil.  
Magister, SS. Theol. Doctor.

Adm. Rev. Prænob. Excell. ac Claris. Dom.  
**JOANNES BALTHASAR à RENZEN-  
BERG**, Styrus Cileensis, Decanalis, ac Parœ-  
cialis Eccl. ad D. Georgium Petovij Curæ  
Magister olim Archid. S. J. Convict. Collegij  
Alumnus Gyriensis AA. LL. & Philos. Magi-  
ster, SS. Theol. Doctor.


Adm. Rev. Perill. Excell ac Clariss. Dom.  
**CAROLUS ANDREAS de MARINELLI**,  
Italus Goritiensis, Cathedr. Eccl. Petinensis,  
Canon. AA. LL. & Phil. Mag. SS. Theol. Doct.

Reverendiss. ac Illustriss. D. D. MAXIMI-  
LIANUS, S. R. I. Comes ab ENGELSHAUS,  
Carn. Labac. Celsis. ac Rever. S. R. I. Princ. ac  
Ep. Passav. ejusq; Officij in infer. Aust. Consil.  
Consist. AA. LL. & Phil. Mag. SS. Theol. Doct.



*Reverendissimi, Illustriſſimi,  
Admodum Reverendi, Perillu-  
ſtres, Nobiles, Excellentes, ac  
Clariffimi*

**DOMINI, DOMINI  
DOCTORES THEOLOGI.**



*Oliis folia inneditus,  
dum Laureato Honori ve-  
stro paginas praesentes in-  
scribimus, queis Inclyti  
Ducatus Styriæ primor-  
dia, per Ottocarum I. inchoata, gemi-  
nosque Leopoldos continuata explicantur.  
Credimus hasce vobis displicere non posse,*

## DEDICATIO.

posteaquam in principe hujus provinciae Atheneo secundâ, eâque meliore Lucinâ Doctores Theologi nati estis. Ecqua enim Sapiente, qui orbem terrarum lustrare gaudet, digna magis, quam exacta patriæ notitia; nè videlicet perspectis regionibus, gentib[us]que exteris, domi tantum suæ hospes, & peregrinus sit. Assveris porrò veritati explorandæ oculis, nihil isth[ic]e occurret, quod theatram potius fabulam, quam magistram temporum historiam decere videatur. Quidquid enim ad stabiliendam rerum gestarum fidem ex illius ævi monumentis conquiri poterat, non modò solerter inspectum, sed etiam plerūmque verbōtenus insertum est. Haud equidem diffiteri licet: per contextas ejusmodi laciniias illum nitorem destrui, quem uno, eodemque Stylo elaborata narratio præferre consuevit; obtemperandum tamen erat seculi moderni genio, qui critâ, eâque laudabili severitate rejicit, siquid in veteri chronologia synchronis, aut genuinis destitutum documentis, in medium adducatur. Neque verò patri-

## DEDICATIO.

triorum annalium transiliuntur limites ,  
et si Pontifices, Cæsarésque Romani  
isthac recenseantur. Præterquam enim ,  
quod illis supremum in hanc provin-  
ciam , quoad sacras , profanásque leges  
imperium competat ; complura Princi-  
pum , Præsulūmque nostrorum acta cum  
gestis eorum adeò sunt connexa , ut sine  
his integra illorum notitia neutiquam pos-  
sit obtineri. Proxima dein à cathedra  
Vaticana Salisburgensibus , & Aquile-  
jensibus insulis dignitas , quorum illis  
in universam propè Styriam , his in re-  
siduam , Dravum inter Savūmque , regio-  
nem præsularis dictatura inest. Fuit  
quoquè olim pars aliqua , priusquam vi-  
delicet comitatus Styrensis ab hac provin-  
cia divulsus Austriae jungeretur , tiaris  
Pataviensibus obnoxia ; ideoque harum  
antistites prætermittendi non erant. Cæ-  
terum , si qua forsan copiose , aut exactè  
minùs dicta videantur ; meminisse opor-  
tebit : eas solum tabulas fuisse allegatas ,  
quæ præ manibus versabantur , nonnullis

## DEDICATIO.

etiamnum desideratis. Interim sub per-  
peti Laurea ad immortale Ordinis Ve-  
stri decus, Patriæque hujus Academiæ  
gloriam constanter virete, valete, &  
favete

Honori Vestro

Addictissimis

GRÆCENSIBUS  
THEOLOGIS.



# OTTOCARUS I.

EX  
MARCHIONE  
ULTIMO  
DUX STYRIÆ I.

**R**Omani Pontificatus insulas Alexander III. Imperij dia-dema Fridericus I. Cæsar ge-rebat, cùm felicibus utrinque auspiciis Styria Ducalis digni-tatis apicem est assecuta. Annus huic pur-puræ natalis, supra undecies centesimum reparatæ Salutis, octuagesimus erat, pri-mique honores OTTOCARO ex avita stirpe Principi ultimo obvenerunt. Opportunum ad hos obtinendos aditum ruina dedit, qua ingens Gvelphicæ Domus potentia propè funditus eversa concidit. Postquam enim Henricus Leo, Saxonum, Bojorumque Dux, majestatis postulatus tribunal adire, causamque dicere contumax detrectavit;

Imperator haud amplius cunctandum ratus, ut Godefridus Coloniensis scribit : [ Anno Domini M. CLXXX. in media quadragesima curiam apud Geylinhusen habuit. Ibi sententiâ ipsius Cæsarî & judicio cunctorum principum Dux Saxoniæ ducatu privat. ] Neque isthîc Cæsarî vindicta constitit, sed proxima statim æstate Principem Boicis etiam fascibus spoliavit. Sic etenim Chronologus Richerspergensis : [ Imperator curiam celebravit Ratisbonæ III. Kal. Julij, cui etiam interfuerunt tres Cardinales Legati Apostolici. Ibi in præsentia curiæ Imperator publicè questus est de Duce Bavariæ - cognato suo, quòd videlicet jam multo tempore & regni, & vitæ ipsius Imperatoris insidiator fuerit. - Tunc ex communi sententia Principum adjudicatum est, eum debere removeri, quandoquidem ad justam responcionem vocatus non venit. Itaque post finitam curiam Palatinus Comes, Dominus Otto senior, ducatum Bavariæ de manu Imperatoris suscepit. ]

II. Etsi verò inter Principes hisce comitiis præsentes, quos diploma Cæsareum Adalberto antistiti Frisingensi datum, atque ab Hundio in metropoli Salisburgensi vulgatum exhibit, OTTOCARUS noster non legatur ; verosimilius tamen est, quòd eodem hoc tempore è Marchione ultimo Dux Sty-

Styriæ primus fuerit auctoratus. Landatus certè Chronologus illicò subjungit: [Otackarius ex marchione Ducis Styrensis nomen adeptus est eo anno, quô & gladio accinctus est.] Huic porrò, cùm non tantum vetus Augustense chronicon, quod ita sonat: [Styrensis Marchio Otacher, mutato antiquitatis nomine, Dux appellari gloriatur,] sed etiam Garstense, & Admontense suffragentur, facile arguitur in Australe, ubi anno sexagesimo nono legitur, [Odaccarus Marchio Styriæ, filius Odaccari marchionis factus primus Dux,] aut amanuensium incuriâ errorem irrepsisse, aut istud de sola Cæsaris voluntate intelligendum esse, vi cuius eosdem honores tunc quidem decreverit, non tamen ante hunc annum contulerit. Atque ex hac præsumptione fors etiam illa prodiere diplomata, quæ ante præsentem epocham Ducis nomen fronte præferunt, cùm interim pleraque solo Marchionis titulo gaudeant. Quare genuini Ducatus Styriæ natales ab hoc anno neutiquam possunt removeri, cui soli hæc primordia debentur.

III. Augustus igitur felicia novis honoribus auspicia datus, imprimis quidem cognatum sibi ex matertera, Sophia Gvelphica, Leopoldi fortis Styriæ marchionis conjugé, nepotem Ottocarum, qui septi-

mum ultra decimum ætatis annum tunc agebat, per sacros antistites equestri baltheo ornari jussit, ut positâ prætextâ senatum adire, publicisque Imperij curis post-hac interesse, Principi liceret. Nondum enim obsoleverat, et si mutato non nihil ritu, antiquissima consuetudo patria, quam etiam Romanæ historiæ princeps de moribus Germanorum laudat. [ Arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus scuto, frameaque juvenem ornant. Hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos: ante hoc domus pars videntur, mox reipublicæ. ] Deinde verò à veteri Bojorum Imperio immunem dixit; nam olim, ut Henricus Stero in suorum annalium ingressu loquitur: [ Quatuor marchiones Austriae, & Styriæ, Istriæ, & Chambensis, qui dicebatur de Vohburg, evocati ad celebrationem curiæ Ducis Bavariæ veniebant, sicut hodie Episcopi & Comites ipsius terræ facere tenentur. ] Postremò etiam purpurâ, unâ cum provinciæ fascibus ad posteros transiturâ, donatum, conceptis ritè verbis primum Styriæ Ducem inauguravit; applaudente Præsulum Principumque senatu, qui pristinam Germanici Imperij

perij majestatem novo rursus splendore au-  
ctam gratulabantur.

IV. Princeps porrò ea dignitate prædi-  
tus sedando inter Archi-Episcopum no-  
strum , & Comitem Ortenburgicum bello  
felicem statim operam impendit. Rem  
gestam Aventinus in Bojorum annalibus ,  
vetustiore siquidem scriptore destituimus ,  
ita recenset : [ Romanus II. Noricorum  
Gurcensis Episcopus moritur. Mystæ at-  
que populus Hermannum Ortenburgensem  
allegunt Pontificem. Conradus Salisbur-  
gensis Archimystes illos sibi contra fas be-  
neficium præripuisse causatus , Theodori-  
cum Juvaviensem Præpositum Gurensi ovili  
absque consensu gregis imponit , contractis-  
que copiis Hermanum Strassburgi apud No-  
ricos obsidet. Petrus Bonus , Legatus Ale-  
xandri Pontificis Maximi frustra in rem præ-  
sentem vadit ; ab armis utrumque disce-  
dere , & Romæ potius jure disceptare jubet.  
Conradus hæc mandata flocci facit , obsi-  
dionem pertinaci animo continuat , obse-  
flos fame expugnare pergit. Arbitris tandem  
Ottone à Witelsbach minore , præfecto  
prætorio Bojariæ , Odagrio Styrio , Her-  
manno Charionum Regulo , Ottone Bam-  
bergensi Episcopo , Hainrico Pontifice Bri-  
xinensi , pax sanctitur. Hermannus ponti-  
ficatu se abdicat , arcem tradit Conrado ,

qui eam exussit. ] Hæc annalista Bojcus, perturbato tamen ordine temporum, serò nimium adducit; cùm Gurcensem antistitem, de cuius successore lis exarserat, jam anno præcedente, Carinthum verò Ducem in sequente mortalibus excessisse, certissima illius ævi monumenta doceant.

*A. 1181.* Perfunctus eō bellō Salisburgen-sis Metropolita cathedralē Divi Ruperti Basilicam, sacrilegis dudum facibus exu-stam, suisque propemodum ruderibus se-pultam instaurare aggressus est. Dum igitur proxima statim hyeme solvendis parieti-nis operæ insudant, felici laborum auspicio Beati Virgilij, quondam Præsulis Juvavien-sis tumba, die decimā sextā mensis Februarij detecta est. Audiendus desuper Scriptor synchonus, et si anonymous, ab Henrico Canisio evulgatus: [ Anno Incarn. Dom. M. CLXXXI, decimā quartā Indict. XI V. Kal. Martij - supramemorati fabrica mo-nasterij, quæ schismatis persecutione con-flagrante deperierat, sumptibus & jussu præclarissimi pastoris Chunradi, Salzbur-gensis tunc Archi-Episcopi, - modò au-tem Moguntinensis Archipræfulis, dum à fundamentis cœpit ædificari, corpus Beati Virgilij, quod ob immensi temporis anti-quitatem ab omnibus ignorabatur, contigit  
rever-

revelari. Quadam die factum est, ut lapides è muro clapsi aliquantulum introspectandi aditum transeuntibus præbuissent. Diligentiūs aliquibus hoc ipsum considerantibus concavitatis patuerunt indicia, & picturæ vetustioris deaurata illic visa sunt schemata. Potrò Canonicis hujus rei novitatem perquirentibus, & latius ejusdem muri aperturas patefacientibus inventa est Beati Virgilij tumba, & depicta imago, ejusdemque imaginis hujuscemodi epigrama : *Virgilius templum construxit scheme pulchro.* Præterea dies obitūs ejus V. Kal. Decembr. - Ad tantæ igitur rei spectaculum plurimis rerum novarum cupidis, ut fieri solet, confluentibus, non pauci à doloribus diversis sunt allevati. ] Sic ille, mox varia recensens beneficia, quæ Divi Antistitis patrociniō supplex clientum pietas impetravit.

II. Neque verò solius Virgilij, sed etiam Vitalis, Hartwici, ac Eberhardi tumulos coelestibus fulsisse gratiis Henricus Stero memorat. Horum nomina etsi Chronologus Richerspergensis diserte non exprimat, nihilominus addit ; eodem ferme tempore, videlicet die decimâ nonâ Februarij assisse Patavium, sed inter templi busta sactorum antistitum cineres novis resplenduisse favribus, dum ita scribit : [ Revelatum est, nutu DEI sepulchrum B. Virgilij III. Kal.

Martij (librarij mendum contextus arguit) & cœperunt coruscare miracula ad sepulchrum ejus, & ad sepulchra aliorum Beatorum Pontificum in civitate Salzburgensi. Non multò pōst locus Pataviensis combustus est XI. Kal. Martij circa medium diem cum monasterio majore S. Stephani. Statim verò & ibi cœperunt ostendi miracula ad sepulchrum B. Pilegrini Episcopi, & ad sepulchra aliorum Pontificum ipsius loci. ] Neque dubium hic pariter designari Divum Maximilianum, Laureacensem Episcopum, & Martyrem, cuius urna in eadem cathedrali Basilica asservatur. Quantum porrò hisce Præfulibus præter finitimas provincias quoque in acceptis Styria referat, jam alibi memoratum est.

III. Adulta dein æstate Alexander III. Pontifex Maximus in urbe Castellana III. Kal. Septembr. seu penultimā mensis Augusti terris excessit, cùm rata felicitate, vi cuius quatuor Antipapas superaverat, Ecclesiæ gubernaculis in annum vicesimum secundum præsedisset. Sæviente atroci turbine, quo summum Sacerdotium, summumque Imperium dirè collidebantur, eidem Principes, Præfulesque nostri adversus Cæsarem constanter adhæserant, ideoque etiam facilem impetraverant, ut Collegiatæ Ecclesiæ Voraviensis, & Carthusiæ Seizensis primordia

literis Apostolicis fulciret, reliqua vero per Styriam asceteria multis favoribus, gratiisque singulatibus prosequeretur. Sepulchrali marmori in Lateranensi Basilica ad designandum obitus diem insculpti versiculi, quos magnum Belgij Chronicum recitat: *Hunc festis auxere suis Felix & Adauetus; cum quibus est felix factus, adauetus eis.* Exinde Humbaldus Ostiensis Episcopus, patruâ Lucensis, Kalendis Septembribus, seu proximâ ab Alexandri obitu, ut Gaufridus Prior Vosiensis ait: [ Feriâ tertîâ eligitur, sequenti Dominicâ primâ Septembris, (quæ erat dies sexta mensis ejusdem) coronatur, ab universo populo, & clero laudatur, Lucius III. vocatus.]

IV. Inter hæc confeatum à Cæsare bellum Saxonicum, dum scilicet teste Godefrido Colon: [ Ille quondam famosissimus in Romano Imperio Dux Heinricus, humiliatus, & dejectus, tandem ad ditionem venit, nomine & officio principis privatur, quidquid ab Imperio, & Episcopis habuit, ei aufertur, finibus Imperij tribus annis cedere cogitur.] Relicta tamen in exilium abeunti, Brunsvicensis Dynastia, quæ novis postmodum ditionibus aucta, demum quoque in Ducatum evecta, magnisque ætate nostra prærogativis ornata est. Cæterum hoc anno supremum vixisse Hermannum

Carinthiæ Ducem superiùs insinuatum est. Dum verò hujus funeri etiam Ottocari Du-cis nostri fatum in Henrici Steronis annali-bus jungitur ; neutquam ipsius auctoris , qui superstitem postea principem fatetur , sed oscitantis cujusdam descriptoris error plusquā palmaris est.

A. 1182. Recruduere dein sub anni se-quentis initium vetera Senatūs , populi que Romani in Pontificium Urbis imperium odia, dum usurpatam hucusque libertatem , quā frēnos excutere nitebatur , à summo Anti-stite frustra petiit approbari. Erumpente igitur in publicum tumultum ferociâ Chri-sti Vicarius urbem reliquit, séque trans mon-tem Albanum Velitras recepit. Adhæsit abeuntis lateri Conradus Archi - Episcopus noster , eodemque in oppido cum cæteris Cardinalibus subscrispsit Pataviensis Ecclesiæ privilegiis, teste Gewoldo hâc epochâ signa-tis : [ Datum Velletr. per manum Alberti Sanctæ Rom. Ecclesiæ Presbyteri Cardinal. & Cancell. VI. Idus Maij Indict. XV. Incarn. Dom. Anno M. CLXXXII. Pontificatus verò Domini Lucij Papæ III. anno primo. ] No-men porrò suum , ordine septimum , Archi-mystra noster his verbis addidit : [ Ego Chunradus Sabin. Episcopus, Salzp. minister subscrispi. ] Ultimam econtrâ vitæ lineam duxit

duxit Udalricus II. postquam Aquilejensem cathedram, cui reliqua Dravum inter & Savum Styria obtemperat, ab anno præsentis sæculi sexagesimo primo insederat. Neque aliud præter obitum illius, & successoris nomen Chronologus Admontensis memorandum reliquit, dum ita scripsit: [ Oudalricus Patriarcha Aquilejensis moritur, pro quo Gotfridus Abbas Sextensis. ]

II. Princeps verò noster, cùm usitata inter munia Juri dicundo forum in sacro templi Ægidiani coemeterio Græcij aperuisset, collegiatæ Ecclesiæ Seccoviensis immunitates non tantùm roboravit, sed regalibus quoque prærogativis, diplomate subsequó expressis ampliavit. [ Precibus assiduis, crebrisque monitis Dom. Wernheri Seccoviensis Præpositi benignas aures apposuimus, & antiquum factum Strenuissimi Patris nostri, Marchionis Otackari cum eodem Præposito fratreque Adalramo, viro illustri, & religioso Seccoviensis monasterij fundatore, nè oblivio aboleat, ad memoriam reducere duximus. Siquidem Pater noster genere, specie, dignitate, divitiis pollens jam dictum Fundatorem magnâ gratiâ familiaritatis habuit, eoquòd idem adhuc in sæculari conversatione manens, multo fidelitatis obsequio tam corpore, quam rebus, sibi servivit. Prædium namque suum montem

Starckenberch, villamque Trabstetten, milites quoque suos meliores, intrans claustrum, Patri nostro liberaliter contulit. Prætereà in prima curia Domini Friderici Rom. Imperatoris Invictissimi Anno Dom. Incarn. M. CLII. Ratisponæ celebrata, uterque, scilicet Præpositus, & frater Adalramus, Patrem nostrum claustro suo in Advocatum elegit, cum grandi honoris magnificentia congregatis innumeris Principibus, tali videlicet tenore; ut ab omni molestia exactio[n]is, quod vulgo nuncupatur Advocati jus, idem claustrum immune, & liberum sub defensione sæpedicti Patris nostri maneret in perpetnum. Pro quibus omnibus servitiis ei fideliter exhibitis Pater noster gloriose memorie, memorato claustro hanc prærogativam libere concessit habere, ut si quis de suis rebus aliquid illò tradere, vel delegare vellent, in libero arbitrio tam offerrentium, quam recipientium consisteret. De his omnibus Nos per nostros commoniti, & à dilecto nostro Wernhero Præposito inducti per omnem ditionis & Ducatus nostri provinciam ad imitationem nobilissimi Genitoris nostri, quidquid ipse cum prædicto claustro fecit, vel ei contulit, nos facere, conferre, confirmare perenniter destinavimus, statuentes idem monasterium ab omni exactione advocatiæ liberum, &

si quis nostrorum de suis rebus mobilibus, vel & immobilibus conferre voluerit illi loco pro cœlesti præmio, licentiam nostram habeat explendo voto suo. Quia verò Dominus nomen & honorem nostrum dignatus est augere, imensas gratiarum actiones debemus ei reddere. Inde & adhuc adjicimus decernentes, si Dominus humilitatem eorum respicere, paupertatique dignetur consulere, venas salis, sive metalli per omnem fundum ecclesiæ ostendendo, sine inquietudine valeant excolere, & in usus suos redigere. Hoc enim priùs illò tradidimus, & nunc stabilire, & in notitiam posteritatis transmittere volumus; sicut Patri nostro ab Imperiali largitate, & Nobis à Patre nostro collatum fore scimus, quò ipsi pro nostris nostrorumque reatibus supplicant instantiūs. Ut autem hæc certa & inconvulsa in superventuris maneant generationibus, ea sigilli nostri impressione, & testium subscriptorum appositione roborari jussimus, quorum sunt hæc vocabula: Otto de Chunigesperch, Heinrich de Scharphenperch, Amelbrecht de Lochuse, Poppo de Albekke, Rudolph de Flaze, Heinrich de Truchsen, Herrand, & Reicher de Wildonia, Albertus, & Heinrich de Dunckenstein, Wulfing de Stubenberch, Otto, & Ottolof de Greze, Chuanrad, & Rudolf de

Chindeberch, Silbung de Varin, Dietmar,  
 & Ulrich de Puttinowe, Lantfrid de Eppen-  
 stein, Suicker de Gestinch, Lantfrid de Ra-  
 menstein, Rapoto de Putina, Heinrich de  
 Schwarzah, Gerhart de Chrumbach, Chal-  
 hoch de Scratenstein, Otto sun de Vustri-  
 ce, Hartnid de Rabe, Albertus de Grime-  
 stein, Ludwich de Slierbach, Sifrid de Chra-  
 nichberch, Dietrich de Giscowe, Hein-  
 rich de Pranck, Wigand de Massimberch,  
 Pabo de Hohenstoufe, Chunrad de Pranck,  
 Durinc de Vuſtrize, Durinc de Emerberch,  
 Albertus de Lochuse, & alij multò plures,  
 qui viderunt, & audierunt. Actum Anno ab  
 Incarn. Dom. M. CLXXXII. Indictione XV.  
 Tertio Kal. Decembr. in vigilia S. Andreæ  
 Apostoli, fer. II. ante ecclesiam S. Ægidij  
 horâ diei tertia, Foro Graeze feliciter,  
 Amen. ] Et verò è subscriptorum testium  
 elencho sat elucescit, quantus jam illa  
 ætate in Styriæ Ducatu splendor nobilita-  
 tis, etsi hunc fulgorem pientissima Princi-  
 pis munificentia transcenderit.

A. 1183. Inter hæc Senatus Populusque Ro-  
 manus exilio Pontificis haud contentus, ferro  
 insuper, & flamma in ditiones sacras desæviit,  
 præcipue verò Tusculum, à milite Cæsareo  
 infessum, acriter infestavit. Imperator,  
 ut missis exercitu perduelles compesceret,  
 fluctu-

fluctuanti Longobardiæ tranquillitatem integrum reddere decrevit. Peculiaris ergo Præsulum , Principumque Senatus Constantiæ ad lacum Bodamicum indictus est, eoque pariter urbium Legati ex Insubribus venire jussi. Auditis, & discussis prolixa consultatione querelis concordia demum iis legibus sancta, quas liber de pace Constantiæ [ Anno M. CLXXXIII. Indict. I. in solemni curia VII. Kal. Julij ] promulgatus, subscriptusque comprehendit.

II. Pacatâ igitur Longobardiâ ad comprimendam urbis tumultuantis seditionem, ut Rogerius Hovedenus narrat [ Christianus Moguntinus Archi-Episcopus, Domini Frederici Romanorum Imperatoris Cancellarius , magno congregato exercitu advenit, cui Romani resistere non valentes Romanam redierunt, quos prædictus Cancellarius persequens omnia ad Romanos pertinentia devastavit , - suburbana incendio tradens. Romani verò videntes se perditio- ni traditos, machinabantur, qualiter prædi- Etum Cancellarium dolo interficerent. - Erat namque prope locum illum fons niti- dissimus aquæ, quam solitus erat Cancellarius , & exercitus ejus vino mixtam potare. Fontem itaque - affecerunt veneno , ita ut manans aqua corrumperetur. Ut igi- tur potavit ex ea Cancellarius, festinæ morti

suc-

succubuit. Occubuerunt & post illum plusquam mille homines, qui ex prædicto fonte potaverunt. Cum autem obitus Cancelarij divulgaretur, exercitus ejus dissipatus est, & in fugam conversus, & Romani acriùs insurrexerunt in Dominum Papam. ] Hucusque Rogerius.

III. Acerbum istud Præfulis militaris funus utrique Archi-Episcopo nostro, videlicet Conrado III. & Adalberto II. opportunum ad pristinas tiaras aditum reseravit. Sic etenim vetus Chronicon Moguntinum : [ Auditâ morte Domini Christiani Imperator intimè doluit, & universa ejus curia, & omnes quotquot intellexerunt gravibus spiriis sunt turbati. - Post hæc principes quidam Dominum Conradum, Salzburgensem Archi-Episcopum, Imperatoris recuperatâ gratiâ reformat, ita ut ipse Imperator eundem Archi-Episcopum Conradum ad Moguntinensem Ecclesiam redire postularet. - Suscipitur ergo Dominus Conradus in Ecclesia Moguntinensi, tanquam fuisset Angelus DEI. ] Dum idipsum breviter Chronologus Richerspergensis adstruit, ulteriùs subjungit : [ Archi-Episcopus etiam Dominus Adalbertus ex præcepto Imperatoris, & unanimi omnium Salzburgensium electione cathedram suam recepit, & in XIII. Kal. Decemb. rursus Ecclesiæ suæ cum

cum favore omnium reinternatus est. ] Ambo itaque Antistites , quas septimo ab hinc anno urgente Cæsare , & jubente Pontifice cesserant, instauratis feliciter auspiciis infulas receperunt. Merebatur sanè reduces postliminiò honores egregia utriusque virtus , quæ magnis licet calamitatibus presa , constanter semetipsâ celsior assurrexit.

**A. 1184.** Proximo dein anno MCLXXXIV. prout Otto San - Blasianus refert [ Fridericus Imperator sedatis in Germania cunctis bellorum turbinibus generalem curiam regni optimatibus in Pentecoste apud Moguntiam indixit , ibique filios suos Henricum scilicet Regem, & Fridericum Sveorum Ducem gladiò accingi , armisque insigniri dispositus. - Itaque sacrâ die cum maxima lætitia solemniter celebratâ, exquisitisque conviviis sumptuosissimè exhibitis gloriosè peractâ , feriâ secundâ ( quæ in vicesimam primam mensis Maij diem inciderat ) celebratis manè missarum solemnitiis filij Imperatoris Henricus Rex, & Fridericus Dux armis accincti, militarique palæstra alacriter exercitati, militiæ cingulum sumpserunt. ] Adfuit solemnitati huic Isenricus Admontensis Abbas, amplissimâsque à Cæsare tabulas obtinuit , vi quarum omnia antiquissimi illius in Styria Monasterij jura singillatim recensita , & confirmata fuere. [ Acta sunt hæc Anno Dom. Incarn.

Milles. centes. octuages. quarto, Indict. II.  
 regnante Domino Friderico Romanorum  
 Imperatore gloriosissimo, - Datum apud  
 Maguntiam.] Augustus dein, relicto in Ger-  
 mania Henrico filio, Italiam petiit, ut insti-  
 tuto per suum Antistitem conventui inter-  
 esset. Decretū in eo concilio, ut Romani com-  
 pescerentur, extirparentur hæretici, & Palæ-  
 stinæ subsidia mitterentur, quæ fusiori cala-  
 mo illius ævi scriptores prosequuntur. So-  
 luto conventu Imperator Papiam recessit,  
 Archi-Episcopus verò noster in aula ponti-  
 ficia perstittit, simulque bullam à Gewoldo  
 in Metropoli Salisburgensi vulgatam meruit,  
 quâ etiam successoribus ejusdem perpetua  
 Legati Apostolici dignitas corroborata est.

II. Dum hæc in Italia agerentur, Dux  
 noster Ottocarus pientissimam matrem non  
 tam amisit, quam ultima eidem parentalia  
 solvit. Jam antea siquidem mundo exces-  
 serat, sed hoc demum anno felicem quoquè  
 æternitatem adiit, ut Chronologus dome-  
 sticus breviter, sed accurate notat: [Chuni-  
 gunt Marchionissa, monialis Admontensis  
 obiit.] Parentem Dietpoldum II. Marchio-  
 nem Vohburgicum, matrem Adelhaidam  
 Polonam habuit. Floridâ ætate Ottocaro V.  
 Styriæ Marchioni juncta, sed eodem rursus  
 vicesimo abhinc anno viduata est. Postea-  
 quam verò unicum, quem suscepérat, filium  
 ad

ad reipublicæ gubernacula fôlicitè educavit, rerum pertæsa mortalium, abjectâ purpurâ, claustrum petiit ; tunc demum se rata dominam , dum inter sacræ familiæ obsequia ultimam omnium ancillam ageret. Ad religiosæ igitur virtutis præmia die vice-sima prima Novembris abiit , quam minio signatam ejusdem Parthenonis Necrologium exhibit : [ XI. Kal. Decembr. Chunigundis marchionissa conversa. ] Suffragantibus pariter Seccoviensibus tabulis : [ XI. Kal. Dec. Chunigunt marchionissa , mater Ducis Styrensis. ]

III. Graviore luctu aulam , provinciamque universam profligata Ducis valetudo perculit. Prima latentis mali indicia suffusus inusitato pallore vultus dederat , quo pristina juvenilis oris gratia paulatim decouperat. Pugnatum pharmacis, sed pertinax sanguinis putrescentis tabes in aper-tam demum lepram erupit. Ottocarus ipse luem hanc immedicablem ratus , simulque matris exemplô motus fasces deponere, Styriamque Austriaco Principi vendere decreverat ; nè fors prodigæ pietati aurum deesset , quod rursus in templo dilapidaret. Hæc animi sensa literis sequentibus prodidit , quas Voraviensibus Divi Augustini Canonis contulit.

IV. Quia teste sacrâ scripturâ, eleemosynarum largitate peccata remittuntur fidelibus, idcirco nos timoris Divini, & amoris intuitu pro salute nostra, & omnium antecessorum Parentum nostrorum, cogitavimus terram Styriæ dilecto consanguineo nostro Liupoldo, Duci Austriae, ex nimia nostri corporis infirmitate venundare proprietariè cum omnibus suis pertinentibus, excepto quingentos mansus pro salute nostra ad cœnobia, quæ felicissimus Pater noster Ottakarus Marchio fundavit, videlicet Vorowe, Seidcs, unâ cum hospitali in Cerwalde, pro remedio animalium nostrarum, omniumque fidelium defunctorum, & ad promotionem eorundem cœnobiorum, quorum fundator hæreditatiè nos tantùm adhuc supervivimus, eosdem redditus ad prædicta loca distribuendo. Cum enim locum Vorowensem ex plantatione novella, & nimio dilecti patris nostri piæ memoriae fundatione diligenteremus affectu, optimas villas in Marchia sitas, Lavenz, & Müldorf, quæ ad nostrum spectabant dominicale, eidem loco contulimus liberè in perpetuum serviendas. Similiter advocatiam potestativâ manu volumus, quicumque Dominus terræ superstiterit nostri loco, absque exactione qualibet, humiliter in DEO nostri causa, & Charissimi patris nostri protegat deinceps, & defendat. Emendietiam,

&

& vendendi ea, quæ ad necessitatem pertinent, ejusdem monasterij provisores liberam habeant facultatem. Eundi, & redeundi, ducendive jus, seu etiam theloni exactiones, statuimus: ut in tota terra nostra, nullus ab eis de cætero exigere præsumat. Ut autem hæc nostræ traditionis chartula firma permaneat, sigilli nostri impressione decrevimus roborare. Hujus rei testes sunt Herrandus de Wildonia, Fridericus de Pettovia, Liutoldus de Hohenstouff, Heinricus de Steinperge, Gundackar de Steinbach, Rapoto de Püten, Heinricus de Schwarzach, Gotschalcus Schierlinch, & frater suus Otto, Duringus de Starchenberch, Willehalmus de Waigerberch, Udalricus, & Sigefridus fratres de Chranichperch, Karolus Pincerna, & alij quam plures. Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini Mille-simo, centesimo, octuagesimo quarto, verè feliciter, Amen.

A. 1185. Verùm hisce consiliis proximo statim anno MCLXXXV. intercessisse anti-stites, nobilesque Styriæ, mutata postmodùm sententia docuit. Neque illis argumenta deerant, quibus Duci meliora suaderent. Censebant imprimis: nondum adeò conclamatam Principis valetudinem, quominus evocatis peritioribus archiatris, adhibitisque melio-

ribus antidotis instauranda videretur. Spem hanc fulciri ab ætate juvenili, quæ alterum & vicesimū natalem haud excederet, magnūmque pharmacis robur adderet. His etiam fallentibus, in corpore, quantūmvis imbellici, superesse vim mentis integrā, gestandæ diutius reipublicæ parem. Exemplum haberi in Balduino Solymorum rege, qui pariter hanc tabem propè cum laete sūxerat, & nihilominūs sceptrum constanter æquè, ac feliciter gerat. Nec extorquendas subditis ante fata suprema lachrymas, quēis gubernio defunctum citius, quàm mortuum Principem clementissimum deplorarent. Quodsi fors spectata rerum vicissitudine successorem legere placeat; sibimetipsis illud in votis esse, ut præ cæteris ob illustria sanguinis cognati decora, provinciasque situ, mutuisque nobilium affinitatibus junctas, Leopoldus Austriacus nuncuparetur. Id verò seclusâ omni nundinatione agendum, quæ majestati principis parùm decora, provincialibus etiam perniciosa foret. Facile contemni subditos ære comparatos, violatisque juribus, & privilegiis non minùs opprimi, quàm si ferro domiti, victoris arbitrio se permisissent. Conficiendas igitur tabulas, quarum vigore tum antiquis patriæ legibus, ordinūmque immunitatibus, tum præ-

præcipue ipsius principis, quamdiu superstes vixerit, dignitati caveretur.

II. Acquievit consultis melioribus Prin-  
ceps, tabulasque confici jussit, quibus Leo-  
poldo Austriaco, illæsis tamen antiquis juri-  
bus, ordinumque prærogativis, hæredita-  
rius Ducatus Styriæ transcriberetur. Ipse-  
met verò nuperam in asceterium Voraviense  
munificentiam, novâ rursus erga novum an-  
tistitem benignitate auxit. Decesserat hâc  
æstate, annis, meritisque plenus, ut chartæ  
domesticæ memorant, primus ordine Præ-  
positus Leopoldus, XI. Kal. Julij, rebus hu-  
manis exemptus, etsi fasti mortuales ecclie-  
siæ Seccoviensis discrepant. Hujus tamen  
anteâ primum fuisse Decanum, ex seris suc-  
cessoribus ejusdem, Thomas Jurichius, sin-  
gulari virtute, ac eruditione conspicuus in suis  
collectaneis annotatum reliquit, dum se-  
quentia conscripsit. [ Inter primos Cano-  
nicos, qui de choro Salisburgensi S. Ruperti  
ad ecclesiam S. Mariæ in Feustriz venerant,  
fuit Liupoldus, qui factus est Decanus Sec-  
coviensis. Sed non est memoria ejus sub no-  
mine Decani in necrologiis. In necrologio  
confraternitatis: Pridie Idus April. Tuticha  
conversa soror nostra, soror Liupoldi Præp. Fo-  
rowensis, XII. Kal. Apr. Liupoldus laicus, pa-  
ter Liupoldi Præp. Forowensis, VI. Kal. Aug.  
Liupoldus, primus Præpositus Forowensis

frater noster. Quia ergo non est credibile ,  
Liupoldum inter primos Canonicum, & De-  
canum Seccoviensem, in Necrologiis fuisse  
omissum , in quibus diligentissimè, & exactis-  
simè omnium defunctorum nomina, eorūm-  
que status, & officia consignabantur, in prom-  
ptu est conjicere : Liupoldum nostrum De-  
canum , postea primum fuisse Præpositum in  
Vorau. ] Suffectus itaque Leopoldo Ber-  
nardus , dum sacra Principi obsequia detulit,  
ab eo membranam in gratiæ reciprocæ tesse-  
ram accepit. Vi hujus statutum : ut si quis  
agros, fundosque suos cœnobio Voraviensi  
liberaliter addixerit , ea munificentia Ducali  
authoritate rata , firmaque imposterum cen-  
seretur. [ Actum Anno Dom. Incarn. Mill.  
centes. octuages. quinto, Indict. tertia, IX.  
Kal. August. feriâ IV. in vigilia S. Jacobi , in  
foco Graece , feliciter. ] Imminente autumno  
Princeps ad lustranda Styriæ , Hungariæque  
confinia Græciô profectus , cùm jam antea  
Carthusiæ Seizensis in opiam à pusilla, steriliq;  
eremo inductam , pingvioribus fundis, an-  
nusque ex ætrio ducali censibus sublevâsse,  
peculiares quoque immunitates per diploma  
[ Datum in Ratkerspurch V. Kal. Octobr. ]  
indulxit. Mitigavit piis hisce favoribus suum  
pariter dolorem Princeps , quem hoc anno,  
siqua catalogo recentiori fides , extinti cœ-  
nobiarachæ funus induxerat, Beramundus  
hic

hic erat, splendido Cornubiæ Comitum sanguine, sed mundi contemptu illustrior, quo primam, eāmque asperrimam D. Brunonis solitudinem ingressus, sacras ex ea colonias in vallem Seizensem deduxerat. Hujus dein gubernandæ cura Joanni I. hujus nominis tradita, qui haud impari passu egregia antecessoris sui vestigia secutus est.

III. Dispar Ottocari Ducis pietati, cognata licet, Henrici Regis Romani indeoles, quem Parens Augustus, in Italia commoratus, gubernandæ interim Germaniæ præfecerat. Hanc ille potestatem, quidlibet audendi licentiam ratus, ut Godefridus Coloniensis queritur, [insolenter agere, & res alienas diripere cœpit: unde crebra querimonia ad Patrem, & demum ad Apostolicum delata est. Unde cùm Imperator vellet, ut imperiali benedictione sublimaretur, fertur Papa respondisse ex consilio quorundam Principum, & Cardinalium: non esse conveniens duos Imperatores præesse Romanol imperio.] Deponendum itaque diadema parenti, si filium eo cuperet redimiri, quod illud cingendo simul utriusque vertici angustum nimis videretur. Etsi verò postulatum istud Pontifex elusisset, non tamen destitit residuas inter Vaticanam cathedram, Cæsarisque solium lites componere, quæ Mathildis quondam celeberrimæ editiones, vacantium in Ger-

mania episcopatum spolia, & Rudolfi adversus Volmarum, scissis Trevirensum suffragiis, electi causam attinebant. Sed priusquam optata sanctiretur concordia, Lucius III. die vicesimâ quartâ Novembbris ex hac luce sublatus, ac teste Rudolpho de Diceto [VII. Kal. Decemb.] Veronæ sepultus est. Humbertus Mediolanensis Archi-Episcopus (idemque Presbyter Card. S. Laurentij in Damaso) ipsa die Cardinalium assensu communi Papa creatus, vocatus Urbanus, & Kal. Decemb. coronatus est in Ecclesia S. Petri, montis in supercilio collocata. ] Hæc itaque Urbani III. Antistitis Maximi fuere initia, quem depravato in sarcasmum vocabulo, ut Chronologus Urspergensis inquit: [multi Turbanum vocaverunt;] quod juribus Pontificiis adversum Cæsarem acrius propugnatis Christianam turbasse rem publicam censeretur.

A. 1186. Prima statim discordiae incentiva Annus M. CLXXXVI. attulit, dum evocatus ab Augusto parente filius inter ipsa Hymenæi solemnia, Longobardæ Sceptro insigniretur. Nam teste Godefrido Viterbiensi [VI. Kal. Februar.] Rex Henricus VI. cum Regina Constantia, filia Rogerij Regis Siciliæ nuptias glorioas celebravit Mediolani apud sanctum Ambrosium. ] Connubialibus porro fertis ut regia quoque miscerentur diadema, quemadmodum Radulphus Diceta-

nus addit: [ eodem die Aquilejensis Patriarcha coronavit Henricum, - quidam Episcopus Teutonicus coronavit Constantiam. ] Ambrosianas verò infulas cum alteri nondum cessisset Pontifex, hinc prima dissensio-  
nis postmodùm erumpentis origo, prout Chronologus Aquicinctinus afferit, [ quòd Patriarcha Aquilejensis, & quidam Episcopi interfuerunt absque consensu Papæ corona-  
tioni Heinrici Regis, - quos omnes Papa à divino suspendit officio. ] Dissimulaverat tunc eam in addictos sibi Præsules severita-  
tem Cæsar, quòd mitiorem in ceteris, iisque gravioribus controversiis Pontificem expe-  
ctaret. Posteaquam verò Urbanus neglectò Rudolphò Volmarum, ut laudatus Chrono-  
logus pergit [ electum Trevirensem Sabbato sancto Pontecostes in Presbyterum Cardina-  
lem, & crastino die in Archi- Episcopum contra votum Imperatoris consecravit, ] si-  
mûlque Cæsarem de occupatis Mathildis di-  
tionibus, & vacantium episcopatum exuviis adeò vehementer impetiit, ut teste Arnoldo Lubecensi [ manifestè eum citaret, & excomu-  
nicationis maledictū ei intentaret; ] exaspera-  
tus inopino rigore Cæsar non solùm Italiam ex-  
cessit, verùm etiam, ut idē Scriptor subjungit,  
[ clausit omnes vias alpium, & omnium cir-  
cumquaque regionum, ut nemo pro quolibet negotio adire posset sedem Apostolicam, ]  
quòd

quò nempe faciliùs Germaniæ Præsules in suas adversus Romanum Antistitem querimonia inclinaret.

II. Immunis erat ab hac tempestate Styria; non tamen publico luetu caruit, dum valedicione desperatâ Princeps eò redactus est, ut hæreditaria in fasces Ducales jura destinatio successori tradere festinaret. Amplissima igitur in lacrum Divo Georgio montem, haud procul veteri Laureaco dissitum, comitia indexit, eoque pariter missis legatis Ducem Austriacum invitavit. Cùm ad diem decimam septimam Augusti mensis plerique convenissent, etiam Leopoldus illustri magnatum comitivâ stipatus, & ab egresso obviam Principe salutatus adfuit. Confidentibus in solio geminato Ducibus, Ottocarus præsentium comitiorum causam breviter exposuit, dum primitus antiqua Domus cognatæ fœdera in medium adduxit. Ultramque scilicet familiam à Leopoldo Pulchro Marchione Austriaco, inde quidem per Leopoldum filium cognomentô Pium, hinc verò per Elisabetham filiam, Ottocari IV. conjugem, fœcundis hucusque thalamis propagatam. Hanc tamen in se licet superstite ob præcipitem indies valetudinem, ferali tandem ruinæ proximam; illam econtra novis iterum per geminam Ducis sobolem assurgere incremeritis. Et verò abunde sibi, totique nobilitati pa-

patriæ perspectas esse Principis cognati do-  
tes, quas sustinendo cuvis imperio pares sin-  
guli & agnoscerent, & deprædicarent. Ni-  
hil igitur potuisse agi consultius, quam ut  
eum sibi successorem legeret, cuius singulari  
prudentiæ, fortitudini, justitiæ, ac clementiæ  
reipublicæ salus tutissima inniteretur. Quod  
itaque DEO, ter Optimo, Maximo, auspice  
sibi, ordinibus, ac universæ provinciæ, bene,  
atque feliciter eveniret: futurum Styriæ Du-  
catūs hæredem, Leopoldum Austriacum, in  
amplissimo hoc conventu à se renunciari, &  
quidem iis legibus, quas confectæ desuper  
tabulæ continerent. His dictis easdem pu-  
blicè recitari jussit.

III. In nomine sanctæ Trinitatis, & indi-  
viduæ Unitatis. Ottocarus Dux Styriæ omni-  
bus fidelibus in perpetuum. Divinis, & hu-  
manis legibus docemur, ac propriæ naturæ  
disciplinâ commonemur: nostrorum saluti  
consulere, & eorum utilitatitam modò, quam  
imposterūm providere. Vita námque cu-  
juslibet hominis, divitis sive pauperis, incerta  
transit, & instabilis; ideoque quemlibet  
ante mortem deliberare decet: quid, cui,  
qualiter relinquat, quod post mortem reti-  
nere non valet. Et quia DEUS solâ digna-  
tione suæ misericordiæ, primò parentibus  
nostris, deinde nobis magnam contulit in  
hominibus, & rebus gratiam, solicitudinem

habuimus non minimam, cùm non habemus hæredem, cui omnia nostra cederent in hæreditatē. Coñunicato igitur meliorū nostrorum prudenti consilio, Nobiliss. strenuiss. fidelissimūmq; Ducem Austriæ Leopoldum, consanguineum nostrum, si sine hærede decesserimus, successorem nobis designavimus; cuius provincia cùm nostræ sit contigua, sub unius patris, ac Principis faciliùs valeat utrāque moderari justitia: quem, quia nobis amicissimum fore credimus, quām diu vixerit, nihil mali in nos, & nostros eum moliri satīs confidimus. Veruntamen nè aliquis de successoribus suis paterni moris simul, & mutuæ familiaritatis obliviscens in ministeriales, & comprovinciales nostros impiè, crudeliterve præsumat agere, jura nostrorum secundūm petitionem ipsorum scripto statuimus comprehendere, ac privilegio munire. Imprimis siquidem statuentes, ut si idem Dux, ac filius ejus Fridericus, quibus nostra designavimus, nos supervixerint, nostros in sua potestate habeant; adeò, quòd si etiam regni gratiam amiserint, à nobis sibi collata amittere non valeant. Postea: quicunque de suis nepotibus sibi succendentibus ducatum tenuerit Austriæ, ducatum quoquè regat Styriæ, cæteris fratribus nullo modo super hoc litigantibus. Idem Dux petitiones ecclesiarum, advocatias monasteriorum, à parentibus nostris fundatorum,

torum, sine subadvocatis manu teneat sua dominicali. Munitio[n]es, terram, ministeriales integrè possideat, nisi forte petitione parentum ex multis filiis unum contingat aliò transferri, causâ majoris emolumenti, benignâ permissione domini. Quicunque de Styria vel Austria contraxerint matrimonium, ejus provinciæ jus habeant, in qua habitant. Si Styrensis intestatus obierit, & de jure hæredis, qui proximus fuerit sanguine, lis exorta fuerit, vel altercatio negotij; ea inter Styrienses non campione, sed probabilem, & certarum personarum dirimatur credibili testimonio. Quandocunq[ue] querimonia de prædiis fuerit habita, ejusmodi quæstio coram judicibus terminetur, probatorum ac credibilem testium fidelis testimoni. In beneficiis nullam molestiam, quæ vulgo Aneuelch dicitur, sustinere cogantur. Beneficia ab aliis dominis aquisita, si à Duce Austriæ in proprietatem fuerint empta, ei non auferat, qui jure beneficij possideat. De prædiis, quæ Duci Austriæ post obitum nostrum designavimus, si interim ex his fidelibus ministerialibus, ac propriis nostris derimus, ratum esse decernimus. Ministerialis Styrensis alij Styrensi prædia sua vendat, vel etiam gratis tribuat. Similiter quicunque se convertere, ac de redditibus quod conveniens fuerit, DEO offerre disposuerit,

in

in claustris subternominatis, cum licentia nostra facere poterit : scilicet Traunkirchen, Garsten, Glunik, Admund, Seccowe, Vitringe, S. Pauli, Ossiach, Rune, Vallis S. Joan-  
nis, Sittiche, Vorowe, Hospitali in Cerwald,  
Lambach, Vornbach, S. Lamberti ; ex quibus quædam parentes, & avi nostri fundâ-  
runt, omnia autem in multis nobis ministrâ-  
verunt. Cuicunque de nostris super queri-  
monia sua, justa sententia coram nobis non  
fuerit terminata, eam habeat optionem, ut  
gratis coram Duce Austriæ suam renovet  
causam. Dapiferi, pincernæ, camerarij, ma-  
rescalci, qui de nostris sunt, Styriæ partes in-  
tranti Duci Austriæ singuli cum suis subditis  
per officia sua ministrent, eâ disciplinâ, quâ  
nobis & parentibus nostris ministraverunt.  
Petenti curiam Imperatoris, aut in expedi-  
tionem eunti, dicti officiarij paribus hebdo-  
madibus, paribus diebus, paribusque sumptu-  
bus serviant, sicut & hi, qui de Austria ser-  
viunt. Ab infestationibus, & exactionibus,  
quas per præcones Austriæ fieri cognovi-  
mus, terram nostræ ditionis, sicut activè  
existit, exemptam esse decernimus. Quis  
quis ergo ille fuerit, qui rerum summam post  
nos habuerit, circa nostros videlicet clau-  
strales, ministeriales, comprovinciales, hanc  
formam petitione eorum conscriptam mo-  
destè conservabit. Quodsi spreta æquitate  
cle-

clementer gubernare despicerit, sed quasi tyrannus in nostros se erexerit; appellandi, & adeundi Imperatoris curiam, & prætendendi per hoc privilegium, suam coram principibus justitiam, irrefragabilem habeant licentiam. Præterea adjicimus, ut qui de nostris in fundo suo ecclesiam construere velit, construat; vel parochiæ suæ aliquid conferre voluerit, conferat. Capellanos, & Clericos nostros sessionē nobis proximam in mensa, sicut à patre nostro habuerunt, habere volumus; & nè de hospitiis suis per marschalcum expellantur, interdicimus. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis millesimo, centesimo, octuagesimo sexto. Indictione quarta, sextodecimo Kalendas Septembris in monte sancti Georgij apud Aensem forum; ubi adsciti in testimonium sunt, præsentésque fuerunt, videntes, & audientes, quorum nomina subjunguntur: Conradus Comes de Peillstein, Sigefridus Comes de Hagenowe, Henricus & Sighardus Comites de Schallach, Sigefridus & Otmarus de Leubenowe, Liupoldus de Plaien, Chunradus de Dorenberch, Albertus & Alramus de Cham, Wernherus de Hagenowe, Wernhardus de Schaumburch, Engilbertus de Planckenberch, Hadmarus de Kuffarn, Wernhardus de Griesbach, Fridericus de Perge, Albertus de Pernecke, Ottackarus de

Klam, Ottackerus de Lengenbach, Heinricus Preiss, Albertus de Winckelberch, Luitoldus de Guettenberch, Chunradus & Rudolfus de Chindberch, Rudolfus de Flaze, Eberhardus de Erlach, & alij quam plures.

IV. Perle&tis hisce tabulis uterque Prin-  
ceps sigillum addidit. Tum verò exemplar  
unum, bina siquidem confecta erant, Otto-  
carus Leopoldo grata**bundus** obtulit, ejus-  
que clementiæ provinciales Styriæ, quibus  
alterum dederat, iteratò commendavit. Leo-  
poldus affectu reciproco: cùm solo tantæ  
benevolentiæ pignore contentum se fore te-  
status fuisset; diuturnam Ottocaro vitam,  
reducem salutem, serósque nepotes preca-  
tus est. Quòd si tamen aliter visum supe-  
ris, nunquam profectò grandis adeò bene-  
ficij memoriam apud se, posterósque suos  
emorituram; quòd hujus toties reminisci  
deberent, quoties se Duces Styriæ compel-  
lari audirent. Converso dein ad provinciæ  
magnates serenissimo vultu: gratiæ perpetis  
securos jussit. Successere geniales, an po-  
tiùs funebres epulæ, quas inter saluti Princi-  
pum æqualibus quidem poculis, paribúsque  
votis, spe tamen dispari litatum est. Solu-  
tis demum comitiis Leopoldus inter gratu-  
lantium voces ab Ottocaro dimissus Austriam  
repetiit; Dux verò noster usitatâ curâ pro-  
vinciam obivit, quo usque nascentis Redem-

pro-

ptoris præsepe in sacrario Admontensi cole-  
ret. Nè verò illud sine munere adiret, vi-  
cinam alpi Laventinæ sylvam, VI. Kal. Jan.  
cœnobio donavit. Allegati inter alios mu-  
nificentiae testes [ Rudolfus de Chindberch,  
homo liber & nobilis, Gundacher de Styra,  
Albertus de Epenstein - Herrandus de Wil-  
donia, Ottmarus de Liechtenstein, - Lant-  
fridus de Ramstein, Fridericus de Petowe,  
Ludwicus de Slierbach, Arnoldus de War-  
tenberch, Liupoldus frater Ducis, Heinri-  
cus de sancta Margareta, - Duringus de  
Emerberch, Dietmarus de Putinowe, -  
Marchwardus de Starchenberch.] Fefelle-  
rat hic testium catalogus, Seizensibus pariter  
literis insertus, Valentimum Prevenhuebe-  
rum, ut Leopoldum; ineptè magis Lazio, ut  
Henricum de sancta Margareta, Ducis Ot-  
tocari fratrem natu minorem comminisce-  
rentur. At jugulatur commentum istud al-  
legatis hucusque membranis, quibus ex avita  
Marchionum stirpe se tantùm superesse Dux  
fatetur. Neque verò superstes etiamnum  
frater à principatu exclusus; neque ob præ-  
rogativam, etsi toro illegitimo genitus fin-  
geretur, ad promiscuam aulicorum catervam  
detrusus fuisset. Haud igitur vocabulum  
Ducis appellativum dignitatis, sed familiæ  
alicujus cognomentum erat, quod tamen  
præ cæteris fors natu maximus sustineret.

Talis certè post centum & viginti annos in Ecclesiæ Seccoviensis tabulario occurrit, ubi Otto, cognominatus Dux, Judenburgi lares habuisse memoratur. Cæterùm eadem ferè die summus Pontifex omnia Cistercij Runensis privilegia per diploma Apostolicum confirmavit, [ datum Urbeveteri VII. Kal. Januar. Indict. IV. Incarn Dom. Anno Milles. centes. octuages. sexto. Pontificatus verò Domini Urbani Papæ III. Anno secundo.]

A. 1187. Rediit ingruente A. MCLXXXVII. Veronam Pontifex, nondum tamen placatus Cæsari; etsi Germaniæ Præsulum, mitiora suudentium literas, è comitiis Geilenhusanis accepisset. Magno concordiae impedimento fuit Henricus Augusti Filius, qui Romanis in oppida Pontificia grassantibus suppetias tulerat, gravibusque contumeliis, etiam cruentis, quas Arnoldus Lubecensis & Chronographus Aquicinctinus referunt, curiæ Vaticanæ ministros insectatus erat. Postquam verò, ut Henricus Stere memorat, [ in Dominica prima Quadragesimæ Fridericus Imperator Ratisponam intravit, & ibi cum septendecim episcopis, & cum omnibus principibus Bavarianorum per maximam cœriam celebravit, ac ibidem totam Quadragesimam, & Pascha peregit, ] Augustali huic senatui ad restituendam christianæ reipublicæ

blicæ pacem perquam consultum , quinimo  
necessarium videbatur; ut peculiares ad sum-  
mum Antistitem nuntij, è Germaniæ Præ-  
sulibus delecti expedirentur. Igitur teste  
Chronographo Saxone [ Imperator pro pa-  
ce formanda - legatos , Witziburgensem  
Episcopum , & Babenbergensem , & Abba-  
tem Hersveldensem Veronam misit. ]

II. Dum illi concordiam instaurare nitun-  
tur , Luitoldus Dynasta Guettenbergicus,  
suæ stirpis ultimus , Parthenonem Göffen-  
sem insigni munificentia prosecutus est. Sa-  
cro virginum collegio post Chunegundem ,  
Adelhaidem, Diemudem, Margaritam, Hem-  
mam, Willburgem, Richardim, & Adoleu-  
siam , quarum sola nomina supersunt, Othi-  
lia Antistita , ejusdem Luitoldi nata , incer-  
tum quo anno electa , præfuit. Haud igi-  
tur opulentâ dote , quam velum suscipienti  
dederat , contentus genitor , assentientibus  
filiabus reliquis , Chunegunde ac Gertrude ,  
generisque Wilhelmo Comite Hunneber-  
gico , & Herrando Wildonio , sitam in agro  
Leobiensi , Beati Martyris & Episcopi Dio-  
nysij ecclesiam , quinquaginta colonorum  
fundis , quos mansos appellabant , divitem ,  
Vestalibus transcripsit. Ratam hanc muni-  
ficientiam dato Kalendis Octobris diplomate  
Dux Otrocarius habuit , dum Luitoldum  
in castro Guettenbergico hospes inviseret.

Æmula marito Elisabetha consors , alterum quoque fanum Divo Martyri Vito , in monte vicino consecratum , addidit , quam pietatem Princeps patentibus rursum literis Græcij approbavit.

III. Haud multò post feralis ex Oriente cursor appulit , qui Christianum in Palæstina exercitum V. Nonas Julij internecione delatum , & triumphale Crucis lignum à barbaris captum nuntiavit. Acceperat lugubrem hanc epistolam ab equitum Templiorum magistro Urbanus III. Pontifex Maximus , cùm Ferrariam attigisset ; valuitque tantum clavis acerbitas , ut mœrore oppressus , teste Gervasio Dobernenſi , aliisque melioris notæ scriptoribus , XIV. Kal. Novemb. expiraret. Initis eâdem in urbe suffragiis , ut Annalista Mailrosensis notat , [ XII. Kal. Novemb. electus est Gregorius VIII. & VIII. Kal. ejusdem consecratus , ] qui anteà Albertum S. Laurentij in Lucina Presbyterum Cardinalem , Ecclesiæque Romanæ Cancelarium egerat. Gratissima Cæsari ejusdem electio , sed lætitiâ minimè diuturnâ. Vix enim mitissimus Pontifex placandis superis , ferendisque Palæstinæ auxiliis intentus , Ferrariâ relicta Pisas pervenerat ; cùm juxta laudati Gervasij chronicon , [ XVI. Kal. Jan. ex inopinato defunctus est. ] Exequiis Gregorio solutis , prout Radulphus Dicetanus refert

refert, [ substitutus est Paulus Prænestinus Episcopus, vocatus Clemens III. ( electus ) XIV. Kal. Januarij, ] quem & altera statim die Pontificiâ tiarâ coronatum fuisse, Annales Mailrosenses testantur. At ille sibi non tam sacræ dignitatis, quām publici luctūs insignia accepisse videbatur ; dum ipsam quoque Hierosolymam à Saladino interim occupatam audiit. Deditio[n]em urbis mense Septembri factam, cùm ex Magistri Templariorum epistola per Hovedenum vulgata certum sit ; hinc major eorum historicorum fides , qui cum Arnaldo Lubecensi IV. Kal. Octobris amissam scribunt.

*A. 1188.* Feriebat non tantūm Pontificis, sed etiam Cæsaris animum Hierosolymæ, captæque Crucis jactura. Ad hanc proinde vindicandam Anno MCLXXXVIII. ut expeditionis Asiaticæ scriptor Canisianus ait : [ Imperator in media quadagesima, quæ tunc evenit VI. Kal. Aprilis, curiam indixit apud Moguntiam, quam rectè curiam DEI voluit appellari. ] In hâc etenim de sacro adversūm barbaros bello decernendum erat. Convenere plerique Germaniæ Principes, atque antistites ; cùm ad senatum introducti Apostolicæ sedis Legati , prout Otto San-Blasianus narrat : [ Imperatori desolationem transmarinæ Ecclesiæ scriptis & verbis repræ-

fentaverunt, patrociniūmque Romani Imperij per ejus auxilium imploraverunt. Qui habita deliberatione ad subveniendum se obtulit, acceptāque cum filio, Friderico scilicet Svevorūm Duce; peregrinationis cruce - ad id negotium sui exemplo multos regni optimates accedit. Cardinales autem his patratis à curia digressi, verbo prædicationis per diversas Imperij partes instabant, multisque propter nomen Christi crucem tollere, & ipsum sequi in expeditionem transmarinam persuaserunt, & innumerabilem exercitum contraxerunt; quibus omnibus Imperator sequentis anni Majo tempus profectio- nis constituit, ] ut nempe ad IX Kal. mensis ejusdem Ratisbonæ adessent.

II. Excludebatur à capessenda sacræ militiæ tessera Dux noster Ottocarus; non tamen illi crux deerat, quam in afflicta corporis valetudine perpetim tolerabat. Verum ea imbecillitas Principem impedire haud poterat; quominus reipublicæ saluti constanter intenderet, Numinisque cultum instaurata passim liberalitate promoveret. Hac siquidem de causa geminas, [ scilicet ad sanctum Petrum, & ad sanctum Jacobum in Liuben, ] ecclesias, expeditis ad Archimystam Adalbertum, suppliciter id postulan tem literis, IV. Nonas Aug. Admontensi cœnobio contulit. In epilogo Princeps ita lo-

loquitur : [ Hujus donationis apud Chrun-gilsee factæ testes adhibitus, quorum nomina sunt hæc : De ministerialibus meis , Richerus de Marchburg, & filius ejus Riche-rus, Herrandus de Wildonia , Erchingerus de Landeser, & frater ejus Gottschalchus , Ulricus de Stubenberch , Otto de Chrems , Otaker de Gretz , Gundacker junior de Steyr , Ulricus de Wolckenstein , Otto de Sibeneck , & frater ejus Thomas , Marchwar-dus de Starckenberch , & alij quām plures . ] Dum verò Princeps hoc eodem anno Cister-cium Hilariense , Danubio adsitum , invise-ret , munificentiam suam unico cœnobiar-chæ basio perquām lubenter expugnari pas-sus est . Sic etenim Garstensis scheda : [ Ottocarus in monasterio Willering sacrificio prælens ab Hiltgero Abbe pacis osculum accepit , & monasterium dotavit ; eoquòd Abbas leproso pacis osculum dare non ab-horuerit . ]

III. Intereà Cæsar ad Europæ , Asiæque Principes , per quorum regiones exercitum ducturus erat , caduceatores ; Saladino autem Palæstinæ tyranno fecialem misit , qui res repeteret , abnuentique bellum denunciaret . Perquām accuratè singula laudatus Scriptor Canisianus explicat . [ Quia Serenissimus Imperator & Saladinus tam per nuntiorum , quām donativorum alternam missionem à

longo tempore amici fuerant ad invicem ; Imperator suæ maiestatis prospiciens honestati duxit conveniens , ad eum præmittere legationem , & cum denuntiatione belli se illius hostem fateri , nisi sanctam Crucem in prælio Christianis ablata ab redderet cum terra Jerosolymitana , quam suæ subjugaverat ditioni . Præter hanc alia ab Imperatore legatio destinatur in Hungariam ad Regem Belam pro mercato , pro viæ securitate , & pacis certitudine utrobique firmanda . Similiter & in Græciam ad Ysachium Imperatorem , nec non Soldanum Iconij , apud quem à multis diebus propter bona de ipso per internuntios remandata jam sæpius & audita amicitiæ fiduciam obtinebat . ] Isaaci & Soldanus , obiectâ interim perfidiâ , Cæsarem amicum ; Saladinus apertâ ferociâ hostem maluit .

A. 1189. Bello itaque datus auspicia Cæsar , Anno MCLXXXIX. teste Godefrido Coloniensi : [ circa festum S. Georgij curiam celebrem Ratisbonæ habuit , occurrentibus illuc comitibus omnibus cruce signatis , qui cum eo per terras ire disposuerant , ibique ad peregrinandum DEO lumbos suos succinxit , relictâ rerum summâ filio suo Heinrico regi . ] Postquam ergo huic supremos inter amplexus valedixit ,

con-

conscensa navi prætoriana tetendit, ut expeditionis Asiaticæ Scriptor inquit: [ ad partes Austriæ, exercitu cum equis, & curribus per terram eunte. - Cùm autem Winam ( seu Viennam ) pervenisset exercitus, Lupoldus Dux Austriæ, qui apud omnes liberalitatis præconio famosus, & celebris habebatur, necessitati peregrinorum laudabiliter consuluit, tum in ministratioне mercati, tum de rebus propriis hilariter largiendo. ] Delectatus ea Principis humanitate Cæsar tantisper Viennæ substitut, cùm eodem tempore Ottocarus Millestadiensis ecclesiæ colonis in sua dynastia Naun ( nunc Portu Naonis appellata ) quoad sylvas, & pascua idem jus contulit, quo Ducis ipsius subditi fruebantur. [ Datum est autem hoc privilegium in Grez XIII. Kal. Junij, ] cui præter Styriæ nobiles, ex Foro Julio [ Cherewicus Marschalcus, Heinricus Gastaldo ( seu Castellanus ) Marcus, & Hartwicus de Naun ] subscripsere. Neque dubium, quin Ottocarus ad invisendum obsequij causâ Cæsarem Græciō excurrisset, nî Principem ab oculis Augustis lepra arcuisse.

II. Haud multò post, ut Scriptor laudatus pergit, [ Imperator cum exercitu ingressus est fines Ungariæ - & pervenit Strigonium, ubi ab ipso Rege ( nimirum Bela III. ) & Regina - præsentialiter salutatus, & magnificè -  
rece-

receptus est. Ibi etiam diebus aliquot demorante exercitu, Rex filiam suam inclito Duci Sveviæ despontavit, & in collatione viætualium multa impendit beneficia peregrinis. - Deinde venientes ad Thravum fluvium, nec eum invenientes vadabilem - navi-giō transferunt. Inde per regionem bonis omnibus opulentam IV. Kal. Julij ad Savum fluvium pervenerunt. Post transitum Savi fluvij, nostri jam tunc in finibus regni Græciæ, in Bulgaria constituti, castra metati sunt apud Belgradum. ] Ab hac porrò statione Tageno Pataviensis ecclesiæ Decanus, suique Antistitis Dietpoldi comes, inchovavit militare diarium, ex quo sequentia delibare sufficit. [ X. Kal. Aug. venimus ad civitatem Nisseam. Ibi magnus Comes Serviæ cum magno apparatu obviam nobis venit. III. Kal. Aug. inde transivimus ad primam clausuram. Major pars exercitūs in illis partibus ægrotare cœpit; quidam tertianâ, alij quartanâ, multi dissenteriâ laborârunt. Pridie nonas Augusti ad secundam clausuram venimus. Apud Straliten III. Idus Augusti nullum hominem invenimus; montana conscenderant, & viætualia secum detulerant. ]

III. Atque in hoc Bulgariæ oppido Admontensis cœnobiorcha, qui sacra inter reliquos Præfules vexilla sequebatur, tumulo illatus est. Nam pridie extinctum ejusdem

mo-

monasterij necrologium indicat: [IV. Idus Aug. Isenricus Abbas nostræ congregatio-  
nis.] Ab ipsa pueritia inter ascetas mitiori-  
bus æque, ac severioribus literis egregie im-  
butus, post minora domûs religiosæ munia  
officium Prioris anno præsentis sæculi sexa-  
gesimo nono subire jussus, sed illo nondum  
evoluto ad Biburgensis in Boica monasterij  
regimen Abbas postulatus est. Hinc porrò  
multorum Admontensium votis, sed irritis,  
tertiū revocatus, interposito demum Con-  
radi III. Salisburgensis Archi-Episcopi man-  
dato rediit, posthabitóque Rudolpho, et si  
pluribus suffragiis nominato, sacrum hunc  
magistratum anno septuagesimo octavo su-  
fcepit. Singularibus Pontificum, Princi-  
pumque favoribus, præcipue ipsius Ottocari  
neutram in privata commoda, sed suorum  
emolumenta adeò præclarè usus est; ut gra-  
tam sui nominis memoriam posteris relique-  
rit. Successit innovato eligentium calculo  
Rudolphus II. ut qui antea Isenrico solâ æta-  
te inferior habebatur, nunc eidem dignitate  
æquaretur. De utroque breviter domestici  
annales: [Fridericus Imperator cum exer-  
citu signatorum sanctæ Crucis versùs Bulga-  
riam tendit, in cuius comitatu Isenricus Ab-  
bas Admontensis moritur, & Rudolphus,  
priùs electus, substituitur.]

IV. Eâdem porrò die, quâ cœnobium Admontense Præsulem amiserat, Cistercio Runensi Ottocarus retenta perperam latifundia reddidit. Meretur sanè Ducis pienissimi candor, quo reum se fatetur, ut ipsa membrana, resectis tamen parergis audiatur. [ Notifico: quod Pater meus felicis memoriae, Otakar Marchio de Styra, monasterium Rune, quod Pater suus Marchio Leopoldus cognomento Fortis, avus meus à fundo construxit, & ubi etiam sepultus quietus, votum Patris adimplens prædiis suis ampliare curavit. - Fecit autem hoc - cum assensu benevolo conjugis suæ, matris meæ, Cunigundis marchionissæ. - Post dies autem vitæ suæ, filiis succedentibus, sive non succedentibus, hæc allodia eidem ecclesiæ confirmavit; villam, quæ dicitur Raeze, & aliam, quæ vocatur Strasindl, & tertiam, quæ nuncupatur ad Judæos. Cum igitur ego Patri defuncto heres successisse, supradictas tres villas ad meum detinui servitium, donec tandem DEI nutu commonitus, & meam in justitiam recognoscens, easdem villas ex toto abdicans, - domui DEI restitui, - & testium, qui subscripti sunt, ad stipulatione confirmare studui. Fuerunt ergo per eum tracti, Ortliebus Archi-Presbyter, capellanus meus de Vischach, Heinricus Plebanus de Grecze, Chunradus Plebanus de March-

Marchburch, Wernhardus Plebanus sancti Roudberti ad Rabam, Chunradus de Chindeberch, Otto de Wolckenstein, Otaker de Grecze, Hertwich Boemus, Otakar de Stanga, & Hartnidus frater suus, Ulrich de Stubenberch, Suicher de Gestinch, Suicher de Wolckerstorff, Rudiger de Planckenwart, & Marchwardus frater ejus, Landfrid de Rabenstein, & alij plures. Acta sunt Grecze in civitate omnia ista, Anno Domin. Incarn. Milles. Centes. Octuages. nono, Indict. septimâ, IV. Idus Aug. die videlicet S. Laurentij. Romani apicem imperij tenente Friderico Imperatore Augusto, filio verò ejus Heinrico Rege, vice ejus Regnum administrante, Salzburgensi autem Ecclesiæ Adelberto Archi-Episcopo præsidente, Runense porro cœnobium regente Willhelmo humili Abbe. ] Suffectus hic erat Ottmaro, qui comitum de Schallach sanguine illustri genitus ipsum quoque Principem cognatum habuit. Superavit tamen splendorem generis religiosarum virtutum meritis, quibus ab anno sexagesimo quinto, ad usque præsentem ita suis ascetis præfuit, ut Proto - Abbatis Geraci decora: haud impari morum sanctitate expresserit, ad parem quoque felicitatis corollam, evocatus.

V. Verum è Styriæ cœnobiis ad sacras in Bulgaria legiones redeundum est , quarum iter Tageno sic prosequitur : [ XVII. Kal. Septemb. ad tertiam clausuram devenimus , quæ ita munita fuit , ut difficilem nobis minaretur transitum. Græci visis Imperatoris nostri militibus continuò in fugam versi sunt. VIII. Kal. Sept. ad civitatem Philippopolim venimus , vacuam hominibus ; sed plenam vino , & frumento , aliisque divitiis. Nonis Novemb. Imperator recessit à Philippopoli , & ivit Hadrianopolim , unde has literas in Germaniam misit : Fridericus DEI gratia Rom. Imp & semper Augustus , dilecto consanguineo , Luipoldo Duci Austriæ , gratiam suam , & omne bonum. Significandum duimus dilectioni Tuæ , quod frater noster Constantinopolitanus , jure nudatus fraterno universa , quæ à Cancellario suo apud Nurenberch præsentibus Imperij Principibus de seculo transitu nostro , foro , atque concambio noscuntur jurata , prima fronte infredit ; insuper & legatos nostros ignominiosè in carcerem detrusit. Tandem autem post multas legationes in hyemis asperitatem transitum nostrum dolosè producens , prædictos legatos nostros , quasi rebus bene gestis , in festo Simonis & Judæ , nostræ remisit Excellentiæ ; iteratò forum bonum , & concambium consuetum , atque navium

navium abundantiam nobis pollicens. Verum, quod ustus timet uri, verbis & jura-  
mentis Græcorum de cætero nullam possu-  
mus adhibere fidem, sed hyemalem decli-  
nantes inclem tam Philippi poli, atque  
Hadrianopoli intendimus hyemare, oppor-  
tuno tempore versus Constantinopolim  
transituri. Itaque quamvis copioso gau-  
deamus exercitu, in orationibus tamen ad  
divinum est recurrendum præsidium. Ea-  
propter Tuam rogantes commonemus di-  
lectionem: quatenus orationibus piæ de-  
votionis studio nos unâ cum crucis exercitu  
velis commendare DEO. Ad hæc tuam  
prudentiam rogamus, ut literas, quas Papæ  
dirigimus, ad ipsum tuâ industriâ & labore  
perveniant; quia per te competentiùs, quâm  
per alium id poterit ordinari.] Hæc Cæsar  
ad Leopoldum Austrium, cumque designa-  
tum Ducem Styriæ, egregio sanè, tum pietati-  
s erga DEUM, tum clementiæ erga hostem  
licet adeò perfidum argumento.

*A. 1190.* Hæserat invitus in Europa Cæ-  
sar, quod ultrices in Asiam transferre aqui-  
las ardentissimè anhelaret. Quâmvis igitur  
ver anni sequentis, qui MCXC. erat, non-  
dum illuxisset, attamen hiberna solvi, spar-  
sumque per oppida militem ad signa evocari  
jussit. Lustrato exercitu, ut Tagenonis ca-  
strense diarium sonat: [Kalendis Martij Dux

Sveviæ exivit Hadrianopoli cum suo agmine, sequenti die Dominus Imperator cum suo exercitu. - X. Kal. Aprilis, in Parasceve transfretavit sinum Dux Sveviæ primus cum suo agmine. VII. Kal Aprilis, transfivit Dominus Dietpoldus Episcopus Bathavensis, & Dux Meraniæ cum societate sua. V. Kal. Aprilis, quod erat feria quarta, transfivit Dominus Imperator post transitum omnium peregrinorum. - XI. Kal. Maij venimus Philadelphiam, - inde minorem Tripolim, inde Hieropolim. - Ibi flumen, quod Mæander minor vocabatur, trajecimus, & Turcorum ditionem intravimus. - Tunc accessimus ad campos Laodiceæ. - Inde intravimus desertissima loca Turciæ, descendentes juxta lacum Salinarum, in terra horroris, & falsuginis. - IV. Nonas Maij validissima famæ cœpit esse in exercitu, & nuntij Soldani fraudulenter recesserunt à nobis. - Nonis Maij Turcæ existimantes nostros omnes inediâ contabuisse, horâ vespertinâ castra nostra fundis, jaculis, lanceisque potenter invaserunt, sed - auctoriibus Duce Sveviæ, & Duce Meraniæ - sex fere millia Turcorum interfecta sunt. - Pridie Idus Maij, & feriâ secundâ Pentecostes, filij Soldani collectis trecentis millibus equitum acies instruxerunt, ut nobiscum dimicarent. Imperator noster primam aciem ordinat, & viriliter  
occurred

occurrit, Turcas in fugam vertit. - In descensu itaque montis plusquam decem millia electissimorum Turcarum stravit.]

II. Præludia hæc erant geminatae illius victoriæ, quâ barbara demum perfidia debellata est. Adfuit spectator pugnæ laudatus anteà Pataviensis Decanus, qui sequentia recenset. [ Idibus Maij , sicut præmortui itinerantes, aquam in palustribus locis inventimus, & in illis equi aliquantulum refocillati sunt. - XVI. Kal. Junij. Turci innumerabiles in modum lunæ corniculatæ nos circumdederunt, & clamoribus, & incursionibus, non tamen multum , nobis nocuerunt. - Ingressi itaque hortum regium ( seu potius ferarum custodiam Iconio vicinam ) castra locavimus - Nocte illâ tonitrua & imbres insoliti nos vexârunt. Manè facto Imperator duas acies ordinat. - Dum itaque in procinctu sumus, legati Soldani & filij ejus adsunt, pacem petentes. - Imperator post discessum nunciorum, quum inteligeret omnia fraude agi , & differri, jubet filium procedere. - Soldanus igitur cum sexcentis millibus, dubium an fraude, obviam venit exercitui ; visâ primâ acie terga cum suis vertit ; in castrum, quod supereminet civitati, fugit. - Dux itaque Sveviæ usque ad portam castri munitissimi persecutus fugientes, civitatem cum Turcis velut una

acie intravit ; omnes, quos reperit, ferro occidit.]

III. Patratum fuisse turbe captâ bellum ; nî rerum gestarum ignoratio barbaris reliquum cingentibus exercitum auxisset fericiam : legionibus nostris feralem prope desperationem injecisset. Expugnatum siquidem Iconium [ acies Imperatoris, quæ extra portas civitatis adhuc longè fuit, ignorabat, ipsaque circumdata innumeris Turcarum copiis, & tanto impetu lassata, mortem imminentem expectabat. Episcopi, & sacerdotes plurimi stolis colla circumdederant, quasi jam morituri ; pari voto cupientes sanguinem pro Christo fundere : ita & milites parati fuerunt pro Christo mori. In medio erat Imperator invictissimus, qui lachrymis suffusus dixit : Si exercitus integer esset Antiochiæ, maximo meo periculo hoc vellem ! Cùm hæc dixisset, cunctis lachrymantibus subjunxit : sed quid moramur ? quid tristes sumus ? Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat ! - Hæc dicens - ipse primus versô in gyrum equô, cæteris audacter subsequentibus, irruit ut leo in hostes. Nec mora : hostes terga vertunt, nè unus quidem manum contra levat, decem ferè milia Turci amiserunt. - Post victoriam Imperator cum exercitu civitatem ingreditur, magnificè à filio, & sociis excipitur. - Se-

quenti

quentidie, XIV. Kal. Junij. - Soldanus, & filij ejus, licet castrum fortissimum retinerent, mittunt supplices legatos, pacem petunt, misericordiam implorant. - At quia Imperatori non erat animus inducias dare, communicato cum principibus consilio ita respondit: - Quia Romanus Imperator, cui semper adesse debent misericordia, & veritas, novit magis parcere, quam ferire: pacem dominis vestris damus; duōmodo detis obsides ad arbitrium nostrum, & iter secundum, & commeatum per terram vestram. Talibus auditis nuncij cum magno gaudio Soldano, & filiis ejus hæc retulerunt, & brevi postulata fecerunt Turci. ] Per tot bella viator Augustus ad unum Palæstinæ bellum penetrare nitebatur, & reipsâ penetrâsset; nisi aliud inscrutabili Numinis providentiæ placuisse.

IV. Relicto siquidem Iconio Cæsar non tam ad Syriæ confinia quam imminentia sibi fata properabat. Residuum itineris funesti seriem rursus Tageno exhibet. [ X. Kal. Junij exercitus exiit Iconium. - III. Kal. Junij venimus in civitatem Larandam, quæ dividit Ciliciam à Lycaonia. - VIII. Idus Junij exercitus propter incredibilem viæ difficultatem non expectatis principum, & sociatum vexillis sine ordine ruit; unusquisque pro posse suo alius alium anteire

tentabat. - Magnâ lætitia in campis Seleuciæ  
( videlicet asperæ Ciliciæ metropolis ) con-  
venimus ; sed gaudium nostrum in maxi-  
mum luctum versus est. Nam IV. Idus  
Junij, qui tunc erat dies solis, circa vespe-  
ram Seleuciæ subito Imperator obiit. ] Hæc  
ille rerum oculatus testis, qui tamen magni  
Cæsaris obitum , præpediente luctu cala-  
mum , uno solùm divertio perstrinxit. Mœ-  
stum itaque hujus silentium Scriptor Cani-  
sonianus supplet. [ Erat via nimis arcta & dif-  
fícilis , nunc per abrupta , & crepidines mon-  
tium , nunc per ima vallum secus descensum  
fluvij ( Calicadnus olim dicebatur ) præter-  
fluentis civitatem Saleph ( sive Seleuciam )  
& peregrini laboriosè gradientes nimio cau-  
mate laborabant. Quibusdam ergo equi-  
tibus de subsecente agmine Imperatoris  
prætentantibus, si fluvium usquam vadabi-  
lem invenirent ; Imperator dissuadentibus  
his, qui secum erant, ad refrigerandum se ,  
& lavandum irrevocabiliter fluvium intravit,  
& cùm se ipsum ad transnandum exposuisset,  
mox in amne medio fessus , & jam incipiens  
mergi, cujusdam sui militis , qui secum aquas  
intraverat , opem miserabiliter invocavit.  
Festinanter ille affectans succurrere in mediis  
undis eum arripuit, sed tandem amnis præ-  
valente impetu ab eo vi avulsus , naufragium  
vix evasit. Alius vero equo insidens celeri-  
ter,

ter, sed serò Imperatorem fluitantem in gurgite comprehendit, & sic, proh dolor! Imperator ad conturbationem & detrimentum exercitūs expiravit.]

V. Hoc itaque fato Fridericus Augustus die decimā mensis Junij, anno ætatis nono & sexagesimo, Regni ultra tricesimum nono, Imperij quinto, invictam ferro animam inter undas posuit; omnes Germaniæ Cæsares, ut equidem Horatius Tursellinus in epitome historiarum censet, rerum gestarum gloriâ facile superaturus, si Ottones potius in tuenda, quam Henricos in oppugnanda ecclesia Romana fuisset æmulatus. Sed eluit hanc maculam, dum pertinax illud schisma insigni pœnitudine palam ejuravit, & Alexandro III. Pontifici Maximo filiali pietate se iterum conjunxit, dum exturbatos Germaniæ Præfules Conradum Moguntinum, & Adalbertum Salisburgensem in pristinas cathedras reposuit, dum Ottocaro nepoti, qui asylum utrique dederat, in gratiam recepto purpuram Ducalem contulit, dum prælatis & magnatibus Styriæ, Alexandrum constanter propugnantibus, veniam indulxit, dum ad vindicandam crucis injuriam canus bellator aquilas in Orientem deduxit, dum in ultimo ad Iconium conflictu caput augustum pro salute exercitūs Christiani devovit; ut re ipsâ voti pientissimi damnatus

expirâsse videatur. Certè, ut laudatus Tage-  
no subdit: [ - XI. Kal. Julij exercitus inco-  
lumis cum omni integritate Antiochiam in-  
travit, ubi ossa Imperatoris primùm humata  
sunt à filio in templo ante aram sancti Petri.]  
Neque ultra hanc urbem Cæsar is præliantis  
votum porrigebatur, & fors ideo, prout Otto  
San - Blasianus memorat: [ statim pestilen-  
tia deseçto capite in morte Augusti per to-  
rum corpus grassatur, divites, & pauperes  
simul in unum exitiali tabe involvens, maxi-  
máque pars exercitūs morte infaustâ con-  
sumpta, Antiochiæ, & in ejus finibus sepe-  
litur.]

VI. Superstites è clade miserandâ reli-  
quias Fridericus Svevus, qui post fata Paren-  
tis belliducem agebat, demum ad castra  
Ptolemaidem, sive Acconem obsidentia de-  
duxit. Hanc siquidem urbem insigni portu  
nobilem, sed cum plerisque aliis infeliciter  
amissam, Rex Solymæ Guido, è barbaris vin-  
culis libertati redditus, venturisque ex Eu-  
ropa suppetiis fretus cœperat impugnare.  
Decessit mox in ea obsidione Pataviensis An-  
tistes, cum antea diurni, arduique itineris  
comitem, ejusdem cathedralis Basilicæ De-  
canum perdidisset. De utrōque chronolo-  
gus Richerspergensis: [ Venerabilis Epi-  
scopus Pataviensis Dominus Dietpoldus,  
quamvis fuisset valde nobilis genere, utpote  
dc

de magnorum principum, & imperiali sanguine creatus, & admodum juvenis ætate, non tamen veritus est animam suam ponere viriliter pro liberatione Hierusalem terrestris, quantum in ipso fuit, ut vitam æternam promeretur in Hierusalem cœlesti, quā & adeptus nunc gaudet in cœlis, cum sanctis confessoribus, Dominique Sacerdotibus. - In fine secundi anni peregrinationis, III. Nonas Novembr. cœlo reddidit animam beatam, terræ carnis materiam, apud Accaron (legendum : Accon) sepultus; præmissis priùs ad Dominum omnibus fratribus suis, qui cum de terra sua in terram æternæ promissionis fuerant ut patrem secuti, quorum nomina sunt hæc : Burchardus liber de Chambe Archipresbyter, Udalricus Præpositus de Ardacher, Archipresbyter, Meginhalmus de Patavia, plebanus civitatis ipsius, & Archipresbyter, Marquardus Præpositus de sancto Andrea, Rudigerus de Aheime, Cunradus prior inter eos, & major ordine, & dignitate (utpote Præpositus cathedralis.) Sed itineris consocius, dominus Tageno Pataviensis ecclesiæ Decanus, moriens apud Tripolim, ibique sepultus, in memoriam sui ea, quæ ipse viderat, & pertulerat in eadem expeditione, usque dum exercitus Christianorum venit Antiochiam, - diligenter conscribens, exempla eorum nobis remisit.]

A. 1191. Præfulis Pataviensis obitum, Anno MCXCI. penultimo Kal. Februarias Friderici Sveviæ Ducis funus secutum est; superstite tamen inclyta nominis fama, quam bellicâ fortitudine partam, invictâ insuper castimoniâ nobilitavit. Decumbenti etenim, prout Godefridus Coloniensis memorat, [ quum à physicis esset suggestum, posse curari eum, si rebus Veneris uti vellet; respondit: malle se mori, quâm in peregrinatione divina corpus suum per libidinem maculare. ] Dignus profectò, cujus tumulum immixta laureis victricibus lilia coronarent. Haud multò ante, quâm decederet, supplices ad Clementem III. Pontificem Maximum literas dedit, & illustrem Equitum Teutonicorum ordinem auctoritate Apostolica roborari petiit; quod postea Clementis successor benignè præstítit. Sic etenim, tacentibus interim vetustis scriptoribus, ad annum præsentem Nauclerus: [ Apud Acam quidam Bremenses, & Lubecenses cives hospitale ad opus infirmorum ex velis navium fecerunt, obtinueruntque auxiliô Friderici Ducis Sveviæ à Cœlestino Papa, cooperante ad hoc Heinrico Rege Romanorum, ordinem istum, sub titulo hospitalis Beatæ MARIÆ Virginis Domûs Teutonicorum in Jerusalem, confirmari. Ex eo tempore incepit habere magistrum ordinis Generalem,

pro-

prosapiâ nobilem, & rei militaris peritum. Erat autem primus magister, frater Henricus, dictus Walpot. ] Et verò felicibus incrementis sacra hæc militia adeò promota; ut proximo dein sæculo quoquè gemina in Styriæ Ducatu domicilia sortiretur. Cæterum Friderici principatus ad Conradum fratrem, natu proximum, devolutus; Dietpoldo autem Præsuli, quemadmodùm Richerspergensis ait, [ Wolffkerus Præpositus substitutus est, electus unanimiter Pataviæ V. Idus Martij, qui statim in medio quadragesimæ ivit ad Regem pro suscipiendis regalibus. ]

II. Versabatur eo tempore in Italia Henricus, Romano propediem coronandus dia-de-mate, nî repentinus summi Antistitis obitus remoram injecisset, quoúsque Cœlestinus III. in Vaticano folio consideret. Recenset ista laudatus Chronologus, dum ita scribit: [ Defuncto Romæ Clemente Papa circa medianam Quadragesimam (verosimilius scilicet VI. Kal. April.) constitutus est in locum ejus Jacinthus Cardinalis admodum senex, electus à Romanis III. Kal. April. illo sabbato, quando cantabatur officium: Sittentes venite ad aquas. Et in sancta die solemnitatis Paschæ, quod evenerat tunc in XVIII. Kal. Maij consecratus, Cœlestinus est dictus. Rex quoque Henricus, qui vi-

vente

vente adhuc patre suo Friderico Imperatore regnare cœperat, Romam cum exercitu veniens, sequenti die ejusdem Paschalis solemnitatis, id est, secundâ feriâ, ab ipso Cœlestino Papa, consecratus honorabiliter Romæ, & coronatus, Imperatoris, & Augusti nomen adeptus est. ] Haud diu moratus in Urbe Cæsar, Tancredo regij sanguinis spurio, qui extinto Guilielmo II. utramque Siciliam invaserat, læta initio arma, sed exitu demum infausta intulit. Nam teste Godefrido Coloniensi, [ montem Cassinum, cum civitate sancti Germani, & centum sexaginta castella in ditionem accepit ; donec in Augusto mense aëris inconsueti intemperie corrupto exercitu, omnes penè Principes suos amisi. ]

III. Interea, ut inchoatam narrationem Richerspergensis prosequitur, [ electus Pataviensis, Dominus Wolffgerus, ab Imperatore regressus, ab Archi-Episcopo Adalberto plenitudinem officij sui accepit Salzburgæ in sancta solemnitate Pentecostes; in presbyterum consecratus sabbato, & sequenti Dominicâ die, id est V. Idus Junij, ad honorem, & dignitatem episcopatûs, cum gaudio omnium sublimatus, & consecratus est, Archi-Episcopo cooperantibus Ratisponensi, & Gurensi Episcopis. Inde post triduum, id est: II. Idus Junij, in Ecclesia sua

sua Pataviensi lætantibus , ac plaudentibus  
 pariter majoribus , & minoribus , solemniter  
 valde suscep tus , & in thronizatus est . ] Ap-  
 plausit novo Antistiti Dux etiam Ottocarus ,  
 ejusdémque initia diplomati sequenti intu-  
 lit , quô veterem Trunensi fano immunita-  
 tem reddidit . [ Notum facio Christi fidelii-  
 bus : cœnobium Trunckirchen hactenus  
 summa pace , & quiete viguisse , & nullius  
 advocati exactione vexatum fuisse ; tum ex  
 authoritate privilegij , quod illi contulit  
 unus proavorum meorum Otachat Comes ,  
 tum ex clementia sequentium principum ,  
 fundatorum ipsius cœnobij , qui etiam ad-  
 vocatiam propriâ tenebant manu . Nam ut  
 ecclesia illa , & familia advocatorum exa-  
 ctione careat ; prædia ejusdem ecclesiæ pos-  
 sidebant , sicut & ego hodiéque posideo . -  
 Ego verò adhuc sub pædagogo positus , & ab  
 inquis consiliariis seductus , Arnoldum de  
 Wartenberch , ministerialem - monasterio  
 prædicto præposui , qui ob parvitatem no-  
 stram liberè abusus est justitiâ ipsius loci , di-  
 versas exactions exercens . Quapropter  
 fidelis Abbatissæ ejusdem monasterij Die-  
 mudis , & capellani nostri Eberhardi , unâ  
 congregationis , & universæ familiæ flebili  
 querimoniâ commonitus , eundem Arnol-  
 dum cessare feci ab omni exactione , & priora  
 jura prioris privilegij confirmavi . - Isti sunt ,  
 qui

qui prædicta jura jurejurando confirmaverunt : Gundacker de Styra , Otto de Völckerstorff , Pillungus de Chircheim , Richerus de Marchburg , Hertnidus de Orte , Heinricus de Glunich , Eberhardus Plebanus de Trunckirchen , Gerlach de Talheim , Engelschalcus , & Hartungus de Pulicheim , Heinricus de Rullisheim . - Acta sunt hæc anno ab Incarn. Dom. MCXCI. Indict. IX. Anno I. Wolffkeri Episcopi Pataviensis , præsente Abbatissa Diemude apud Anisum in interiori domo Riwini , qui tunc temporis monetam tenebat . ] Alterum hoc Principis ignaræ etiam ætatis nævum detestantis exemplum , quod egidem laudare plures , quam imitari consueverunt .

IV. Dum hæc in Styria Ottocarus ageret , designatus hæres , Leopoldus Austrius , qui suas Richardo Anglo suppetias junxerat , obfessam diu Ptolemaidem insigni fortitudine , haud minore tamen æmuli Regis invidiâ V. Idus Julij expugnavit . Captâ siquidem civitate , prout Otto San - Blasianus memorat , [ Rex Anglorum signa triumphalia sui exercitus turribus affigi præcepit , titulum victoriæ ex toto sibimet ipsi satís arroganter adscribens . Hac de causa , cùm per civitatem transiret , vexillum Ducis Leopaldi turti , quam ipse cum suis obtinuerat , affixum vidit , suumque non esse recognoscens , cuiusnam sit ,

fit, percontatur ; qui Leopaldi Ducis Orientalium esse accepto responso , - maximâ indignatione permotus , vexillum turre dejici , lutóque conculcari præcepit ; insuper Ducem , verbis contumeliosis affectum , sine causa injuriavit . Præter hæc , prædâ communî universorum sudore aquisitâ , inter suos tantùm distributâ , reliquos privavit , in séque odia omnium concitavit . Omnibus enim fortiori militum robore præstabat , & idèò pro velle suo cuncta disponens reliquos Principes parvi pendebat . Attamen Teutonica militia cum Italica his admodùm exasperata Regi in faciem restitisser , nisi auctoritate militum Templi repressa fuisset . Anglicam itaque perfidiam detestantes , Angliaeque subdi dignantes , ascensis navibus simul cum Leopaldo repatriaverunt , Rege cum suis adhuc remanente , quotidiéque paganos impugnante . ] Hæc Otto , suffragantibus quoque Anglis scriptoribus , dum variatâ licet rerum serie interrogatam Austrio contumeliam fatentur ; audaci dein magis , quām provido Ducis consilio vindicatam .

A. 1192. Suprema interim fata prolabentem Ottocari valetudinem urgebant , quorum ille haud immemor , Anno MCXCII. perennia in templo Seccoviensi funebria sibi metipsi hisce literis instituit : [ Cùm hæ-  
redi-

reditales successores ad gubernandum principatum nostrum abesse nobis, proh dolor! videremus; hæredem saluti nostræ congruum, Beatissimam videlicet Matrem nostri Redemptoris ad aliquam partem nostri patrimonij, prout gratia inspiravit divina, nobis duximus eligendum. Ut enim apud ipsum, qui, quando voluerit, aufert spiritum Principum, misericordiam consequamur, utque nostrum memoria in Ecclesia sanctæ Mariæ in Seccowe, fundatâ de novo devotione possit, & debeat sedulò celebrari; donamus eidem monasterio de nostris dominicalibus pro meliori sustentatione fratrum ibidem divino cultui insistentium, prædia nostra in Waltendorff nuncupata, & cespitem nostrum adjacentem cum omnibus attinentibus cultis & incultis - usque ad fluvium Pelse vocatum. His etiam prædiis largitione munificâ adjungimus alpem nostram supra Judenburch situatam, quæ communi vocabulo Seealb dicitur, cuius termini per decursum pluvialis aquæ dignoscuntur; ut Præpositus & sui fratres pro nobis ad Dominum devotius intercedant. Hujusmodi itaque nostra donatio, ut rata semper maneat, & à nullis malevolis nobis succedentibus immutetur; præsentem chartam super hoc eidem monasterio traditam sigilli nostri charactere fecimus consignari.  
Hujus

Hujus donationis testes sunt : **Wilhelmus Comes de Heunburch, Rudolfus de Treunstein, Wulfigus de Chaphenberch, Ulricus de Stubenberch, Hertnidus de Orte, Herrandus de Wildonia, Offo de Offenberch, Dietmarus de Liechtenstein, Rudolfus de Rase, & alij fide digni, multò plures.** Acta sunt hæc apud Judenburch - Imperante Domino Henrico VI. Romanorum Imperatore Augusto, sub Wernhero Præposito.]

II. Præsagas fuisse mortis imminentis tabulas eventus docuit, dum floridissimo aliquin mense afflictus tabe diuturna Princeps tandem emarcuit. Funebrem illi diem VIII. Idus Maij fasti Runenses, & Admontenses statuunt ; subsequam verò, utpote sacris piacularibus destinatam, Seccovienses, & Traunkirchenses exhibent. Natus anno præsentis sæculi supra sexagesimum tertio, die XIV. Kal. Septembr. alterâ statim hyeme parentem Ottocarum, hujus nominis Marchionem V. perdidit, sed à matre Chungeunde pientissimè educatus, inter omnium virtutum rudimenta adolevit. Nè verò generosæ mentis igniculi in aula fœminea fors penitus sopirentur ; cognatus Princeps Henricus Boicus, etsi vix decennem, itineris ardui comitem impetravit, secumque Hierosolymam ad invisa Redemptoris vestigia deduxit. Inde redux adolescens egregia reli-

religionis avitæ , stabilisque in sedem Apostolicam reverentiæ documenta dedit ; dum exules schismate sœiente præsules liberaliter exceptit , Nuntioque Pontificio Germaniæ limites adire metuenti non solùm aulam sed armatum quoque præsidium obtulit . Restitutâ dein tranquillitate publicâ per Fridericum Augustum Ducali purpurâ ornatus , sed modico post tempore elephantasi corruptus , Leopoldum Austrum iis legibus successorem scripsit , quibus se Patrem patriæ testatus est , dum eandem adeò solicite adversus omnem tyrannidem præmunivit . Etsi verò Ottocarum Leopoldi quoque generum fuisse , Jacobus Claustri Neoburgici Præpositus , qui sæculo decimo quinto floruit , in stirpis Babenbergicæ tabula testetur , idque etiam Prevenhueberus allegato factarij Voraviensis lapide confirmet ; quia tamen nihil ejusmodi in marmore saltem moderno legitur , pariterque annales veteres , fastique mortuales , & ipsæ membranæ Principis , de omni connubio altum silent ; hinc longè verosimilius , Ottocaro thalamum perpetuò cælibem fuisse . Non tamen instituto successore Leopoldo , ut aliqui fingunt , cuculum induit ; sed fasces reipublicæ ad usque obitum constanter gessit , etsi curas præcipluas ornandis Divum ædibus , ampliandisque sacerdotum , & Vestalium collegiis sic im-

impenderit, ut alter omnium cœnobiorum fundator, & vel ideo Dux RELIGIOSUS possit appellari. Extinctum porrò Græcij, ductoque funere in Seizensi asceterio sepultum chartæ recentiores memorant; sed è vetustis documentis Admontense Chronicon, quantumlibet aliis fusiis, solum ita loquitur: [ Otacker Dux Styriæ absque liberis decedens, Liupoldum Ducem Austriæ, terræ suæ, ac patrimonij ex testamento hæredem prius institutum, successorem reliquit.]

## LEOPOLDUS I. VIRTUOSUS, *Dux Styriæ II.*

III. Sepultâ igitur cum Ottocaro Prin-  
cipum domesticorum familiâ LEOPOLDUS  
Austriacus, cognomentô Virtuosus, ab  
Henrico VI. Cælare Augusto, Dux Styriæ II.  
solemni ritu fuit auctoratus. Sic etenim  
Chronologus Richerspergensis: [ Anno  
MCXCII. mortuus fuit Dux Styrensis Ota-  
ckar nomine, qui antea dicebatur Marchio  
Styrensis; & quia hæredem non habebat,  
Dux Austriæ Liupoldus successit ei, & acce-  
pit eundem ducatum valde solemniter de  
manu Imperatoris apud Wormaltiam in pro-

ximo Pentecostes , quod evenerat IX. Kal.  
Junij. ] Obtentis itaque fascibus illicò no-  
vam provinciam adiit , acceptoque in Græ-  
censibus comitiis usitato fidelitatis sacra-  
mento , ut regimen à pietate & justitia au-  
spicaretur , Seccoviense asceterium hisce ta-  
bulis in tutelam recepit. ] Liupoldus Dux  
Styriæ , & Austræ , omnibus fidelibus in per-  
petuum . - Cùm divinâ gratiâ dispensante  
post obitum divæ memoriæ dilecti cognati  
nostrî Ducis Otakeri , Ducatum Styriæ ad-  
ministrandum suscepissimus , nos justis pre-  
cibus , & postulationibus venerabilis Patris  
Seccowensis monasterij , Domini Wernheri  
Præpositi , Domini Geroldi Decani , fratrūm  
que ipsorum annuentes , ipso jam dicto Præ-  
posito , in placito nostro Graece primùm ha-  
bito , in palam progrediente , ac legitimam  
libertatem loci sui , simûlque inducendi ad-  
vocatum , argumentis privilegiorum à prim-  
æva fundatione scriptorum comprobante ,  
deinde eo pro universis rogante , locum  
ipsum cum fratribus suis , mancipiis , & præ-  
diis longè , vel propè positis in tutelam no-  
stræ protectionis pro mansuetudine nostræ  
clementiæ suscepimus . Indulsimus etiam  
eis & indultam ibidem confirmavimus liber-  
tatem possidendi prædium Waltenstorff ,  
sicut in testamento supramemorati Otackeri  
scriptum invenimus , eum id sanctæ Mariæ in

Seccowe pro remedio animæ suæ tradisse, -  
cum omni utilitate usque in ripam fluminis  
Pelse, pariterque alpe juxta Judenburch po-  
sita ad idem prædium pertinente. - Nos er-  
go, ut hujus beneficij legitima donatio non  
pereat, & omnis nocendi subtrahatur occa-  
sio, sed & nè aliquis successorum nostrorum  
munus pietatis DEO famulantibus in pensum  
debeat, & valeat aliquatenus turbare, præ-  
sentem chartulam & actionem impressione  
nostrî sigilli confirmamus. Sunt autem hi  
testes hujus actionis: Dietericus Comes de  
Wazerburch, Albrecht de Wichselberch,  
Otto Lantgrave de Steveninge, Gero, &  
Wilhalmus Comites de Hunnenburch,  
Wernher de Griezbach, Chunrad de Schœn-  
berch, & alij quæ amplures utriusque Ducatus.  
Acta sunt hæc Anno Incarnat. Dom. Milles.  
Centes. nonages. secundo. Indict. X. Re-  
gnante Dom. Henrico VI. Rom. Imperatore  
Augusto, Graece feliciter, Amen.]

IV. Rediverat ex Styria in Austriam Leo-  
poldus, cùm proximâ expirantis anni hyeme  
Richardus Britannus adversa tempestate in  
vicina Aquilejæ littora ejctus est. Hinc  
fugâ præcipiti Viennam delatus, ibidemque  
agnitus, Principi ob illatam Ptolemaide  
contumeliam, Cæsari ob inita cum Siculo  
fœdera opportunam vindictæ occasionem  
præbuit. Eventum rei Imperator ipsem et

datis ad Philippum Franciæ Regem literis exposuit, quas Rogerius Hovedenus Angliæ annalibus inseruit. [- Nobilitati tuæ præsentium tenore declarare duximus: quod inimicus Imperij nostri, & turbator Regni tui, Richardus Rex Angliæ, cùm esset in transiendo mare, ad partes suas reversurus; accidit, ut ventus raptâ navi suâ, in qua ipse erat, duceret eam versùs partes Histriæ ad locum, qui est inter Aquilejam, & Venetias, ubi ipse Rex, DEI permissione passus naufragium, cum paucis evasit. Quidam itaque fidelis noster comes Mainardus de Gortze (sive Goritia) & populus, regionis illius insecuti sunt, intendentes eum captivare. Ipso autem Rege in fugam converso, ceperunt de suis octo milites. Postmodum processit Rex ad burgum in Archi-Episcopatu Saltzburgensi, qui vocatur Frisorum (nempe Frisacum Carinthiæ) ubi Fridericus de Botesowe (legendum: Petowe) Rege cum tribus tantum versùs Austriam properante noctu, sex milites de suis cepit. Dilectus autem consanguineus noster Limpoldus (re ipsâ Luipoldus) Dux Austriæ, observatâ stratâ, & impositis ubique custodibus, sæpe dictum Regem juxta Wenam in villa viciniori, in domo despecta captivavit. - Datum apud Rithiencie V. Kal. Januarij.] Captum porro fuisse Richardum XIII. Kal. mensis ejus-

ejusdem, sive die vicesima Decembris, Radulphus Dicetanus afferit; Otto autem San-Blasianus singulares hasce circumstantias ad-  
dit. [ Rex Anglorum Richardus - fines Ducis Leopaldi - privato habitu furtim, cele-  
ritérque transire cupiens in quodam diver-  
sorium apud Viennam civitatem necessitate  
prandij divertit. - Itaque servili opere, nè  
agnoscetur, - altile ligno affixum propria  
manu vertens assabat, anulum egregium  
digito oblitus. Quidam igitur de familia  
Ducis, qui cum Duce apud Accaronitas (Ac-  
conem intelligere oportet) visum Regem  
notum habebat, de civitate fortuitò egressus,  
tabernam regali coquo insignem intravit, &  
ex consideratione anuli ipsum respiciens,  
& recognoscens agnatum dissimulavit, con-  
citóque cursu in civitatem reversus, Ducem,  
qui tum fortè aderat, de præsentia Regis  
certificans, admodum exhilaravit. Igitur  
sine mora ascensis equis cum frequentia mi-  
litum Dux occurrens, Regem frixam carnem  
manu tenentem captivavit, irrisumque tali  
opere in civitatem duxit, cùmque arctissimæ  
custodiæ mancipavit, digna recompensatio-  
ne reddens ei, quod meruit. Attamen multi  
pro hoc facto Duci detrahentes, ac pro sacri-  
legio in peregrinū sepulchri Dominici comis-  
sum computantes, detestantésque impro-  
babant; licet hæc improbatio captivo Regi

parum profuisset.] At certè profuisset ipsi Leopoldo, si injecto ad ultionem contumeliæ ferro contentus, ab extorquendo in lycrum argento manum vindicem retraxisset.

A. 1193. Ineunte siquidem Anno MCXCIII. ut Guil. Neubrigensis scribit, [ Imperator allegans, Regem non debere teneri à Duce, nec esse indecens, si ab imperatoria celsitudine decus regium teneretur, insignem ad se trahere curavit captivum, - pæctus tamen Duci competentem ex proveniente commodo portionem.] Nequaquam ausus refragati Leopoldus, onustum vinculis Richardum, arctâque militum custodiâ septum Wormatiam adduxit, quâ in Urbe Imperator Regem, prout idem Historicus pergit, [ circa Dominicam Palmarum solemniter sibi præsentatum, coram omni frequentia nobilium, & populi gravium objectu excessuum terrere tentavit. Ille verò hilari fretus conscientia, constanti, & liberâ responsione objecta diluit, ut Imperator quoque non solum ad misericordiam, verùm etiam ad venerationem ejus flecti videretur. Multis enim præ gaudio in lachrymas resolutis, inclinatum Regem dignanter erexit, uberiorem de cætero gratiam, & fusiora solatia pollicens; re verâ ingenti summæ, mediante Duce Austræ ab ipso Rege pro sua liberatione promissæ,

missæ , sitibundè inhians. Unde nec relaxandum duxit , quem sic honorare voluit , nullum commodius judicans pignus promissio- nis , quām corpus promissoris . ] Abducto igitur in arcem Trivelsiam Richardo , Augustus ad celebranda redivivi Salvatoris sole- mnia Spiram concessit , ibidēmque inter alias functiones Wolffgero Pataviensi Episcopo vetera in Niderburgensem parthenonem jura [ ipsā die Pascatis V. Kal. Aprilis ] confirmavit. Allegatus præter reliquos Principes in eo diplomate , per Gewoldum vulgato , re- centetur etiam [ Leopoldus Dux Austriæ , & filius ejus Leopoldus , ] ut proinde Frideri- cum natu majorem gubernandis interim provinciis Parens videatur præfecisse.

II. Neque multò post inter Cæsarem , Re- gémque de lytro Hagenoæ actum , sed inte- grum negotium nonnisi III. Kal. Julij pactis sequentibus , quæ Rogerius Hovedenus re- cit , Wormatiæ confectum. [ Hæc est for- ma compositionis inter Dominum Impera- torem semper Augustum , & Dominum Ri- chardum illustrem Regem Angliæ : Domi- nus Imperator mittet nuncios suos , cum nunciis Domini Regis , qui LONDONIAS ibunt , & ibi recipient centum millia marcarum puri argenti ad pondus Coloniæ . - Alia quoque quinquaginta millia marcarum argenti dabit Rex Imperatori , & Duci Austriæ , & pro illis

ponet obsides, scilicet Domino Imperatori pro triginta millibus marcarum sexaginta obsides, Duci verò Austriæ septem obsides pro viginti marcarum millibus. Solutis ergo centum millibus marcarū, & datis obsidibus Rex liberè recedet. Præterea Rex fecit iuratæ in animam suam, quod neptem suam, filiam Comitis Britanniæ, tradet nuptui filio Ducis Austriæ infra septem menses, postquam liberatus fuerit, & in terram suam rediverit, & eam transmittet usque ad introitum Imperij, si eam recipere voluerint, & si noluerint, erit absolutus. - Præterea ea omnia, quæ tam in his, quam in aliis familiaribus literis, sigillatis sigillis Imperatoris, & Regis super contractibus, qui inter eos ordinati sunt, uterque pro parte sua rata, & firma habebit, & bona fide observabit.] His ita stabilitis Cæsar sub anni finem patentes in Angliam literas, ab eodem Hovedeno recitatas dedit. [Universitati vestræ duximus intimandum, quod dilecto amico nostro Richardo, illustri Anglorum Regi, Domino vestro, certum diem liberacionis suæ statuimus, à feria secunda post diem Nativitatis Domini in tres septimanæ apud Spiram, sive apud Wormatiam; & inde in septem dies posuimus ei diem coronationis suæ de Regno Proviciæ, quod ei promisimus, & hoc certum habeatis, & indubitatum. Datum apud Theolusa in vigilia B. Thomæ Apostoli.]

A. 1194. Vix pacta inter Cæsarem Anglumque inita ad aures Philippi Francorum Regis, Comitisque Joannis Moretonij, fraterno inhantis sceptro pervenerant, cum Anno MCXCIV. missis ambo legatis haud minorem argenti vim Cæsari obtulerunt; si Richardum utriusque vincitum traderet, aut saltem bis senis adhuc mensibus carceri inclusum detineret. Postquam igitur, ut laudatus Hovedenus inquit, [ Imperator cum magnatibus Imperij sui, & Richardus Rex Angliæ cum Alienor Regina, matre sua - convenierunt apud Maguntiam in purificatione Beatæ Mariæ, celebrato ibi consilio de liberatione Regis Angliæ; Imperator voluit à pacto resilire propter cupiditatem pecuniae, quam Rex Franciæ, & Comes Johannes ei obtulerant, & tradidit Angliæ Regi literas legendas, quas ipsi miserant contra liberationem illius. Quibus visis, & lectis Rex plurimum turbatus est, & confusus; desperans de liberatione sua. Convenit ergo per consiliarium suum super hoc Moguntinum, & Coloniensem, & Saxeburcensem ( lege Salzeburgensem ) Archi-Episcopos, & - de Suave fratrem Imperatoris, & de Ostricio, & de Luvain ( videlicet Sveviæ, Austriæ, Brabantiaque ) Duces, & Comitem Palatinum de Rheno, & cæteros magnates Imperij, qui constituti fuerant ex parte Imperatoris fidejusso-

jussores inter illum, & Regem Angliæ super pactis inter illos contractis ; qui audacter introierunt ad Imperatorem, & plurimum increpaverunt eum de cupiditate sua, quâ ita impudenter à pacto suo resiliere volebat, & effecerunt adversus eum, quod ipse liberum, & quietum dimisit Regem Angliæ à captione sua, - & Moguntinus, & Colonensis Archi-Episcopi tradiderunt eum in manum Alienor matris suæ - pridie Nonas Februarij, feriâ sextâ. - Eodem die Romanorum Imperator, & Archi Episcopi, & Episcopi, & Duces, & Comites Imperij factò communis scriptò, & sigillis suis appositis, mandaverunt Regi Franciæ, & comiti Joanni, quod statim visis literis illis redderent Regi Angliæ castella, civitates, munitiones, villas, & prædia, & alia universa, quæ ipsi super eum cœperant, quamdiu ipse in captione Imperatoris fuerat, & nisi fecerint, scirent pro certo, quod ipsi juvarent Regem Angliæ pro posse suo, ad recuperandum omne, quod amiserat ]

II. At Richardus libertati redditus expeditis illicò ad summum Pontificem legatis, pacta velut iniquè extorta rescindi, obsidēsque, & pecunias, quas interim Principi nostro dederat, reddi postulavit. Orationem in senatu Vaticano dictam, quam Matthæus Paris in sua historia descripsit, fortassis au-

audire non pigebit. [ Pater sancte! salutem  
 excellentiam vestram Dominus noster, Rex  
 Anglorum Richardus, & postulat sibi justi-  
 tiam exhiberi de Duce Austræ, qui ipsum de-  
 peregrinatione sua tam laboriosa reverten-  
 tem cepit, & aliter, quam tantum Principem  
 decuit, affixit; Imperatori, ac si bos esset,  
 vel asinus, vendidit, qui postmodum ambo  
 regnum ejus intolerabili redemptionis debi-  
 to contriverunt. - Ipsi insuper à Christianæ  
 fidei legibus non alieni, in tali casu Regi  
 detento graviora exercuerunt judicia, quam  
 ipse Saladinus ficeret, si in manibus ipsius  
 per simile infortunium incidisset; contra  
 quem ipse Rex à finibus terræ, rectè regno  
 nuper adepto, relictâ patriâ, parentibus, &  
 amicis dimicaturus ascendit. Scirèt forsitan  
 Regis generositati simul, & probitati, sive  
 majestati deferre, cui illa gens barbara, &  
 cervicosa deferre nescivit. Sed fortasse hoc  
 fecerunt, ut sibi tanti Regis captio pro lau-  
 dabili victoria imputaretur, cum nunquam  
 ipsum bello appetere præsumpsissent, si belli-  
 coso suo exercitu vallatus fuisset. Nec sibi  
 Regis dejectionem existimant imputari, sed  
 divinæ potius dispensationi, ad cuius nutum  
 rota etiam fortunæ hunc humiliat, & hunc  
 exaltat; hunc dejicit, & hunc attollit. Ma-  
 net præterea non mediocriter Dominum no-  
 strum Regem, quod sub pace, & protectione  
 vestra,

vestra , omnibus peregrinis usque ad trien-  
nium concessa , & in pœnam excommunica-  
tionis inficta , & firmata, ipsum à peregrina-  
tione venientem , & iterum redire disponen-  
tem ceperunt , atque sub custodia carcerali  
detrudentes , ad gravissimam redemptionis  
summam adegerunt . Jubeat ergo excellen-  
tia vestra , ut obsides Domini nostri Regis,  
qui adhuc pro parte redemptionis , quæ sol-  
venda restat , detinentur in vinculis , liberos  
exire Dux ille permittat , & pecuniam illam ,  
quam à Domino nostro excommunicatus  
recepit , ex integro restituat , nec non sibi ,  
suísque illatam injuriam digna satisfactione  
emendet . ]

III. Excepta erat pronis auribus legato-  
rum querimonia , cùmque insuper Pontificis  
animum vindicandæ per Richardum Hiero-  
solymæ spes accenderet , magno Patrum af-  
fensu decretum : ut Leopoldus ablata red-  
deret , & obsequi detrectans anathemate per-  
celleretur . Sprevit ea mandata Princeps ,  
quòd Cæsarem , qui potissimum argenti pon-  
dus traxerat , etiamnum impunem cerneret ,  
redditōque lytrō irrogatam Ptolemaide con-  
tumeliam recrudescere existimaret . Pon-  
tifex igitur , ut idem scriptor asserit , [ post  
trinam monitionem , quam Dux audire re-  
cusavit , surgens cum suis Cardinalibus ipsum  
Ducem nominatim excommunicavit , & omnes ,  
qui

qui in Regem, & suos, manus injecerant violentas, terramq; Ducis totā ecclesiastico supponens interdicto, Veronensi Episcopo dedit in mandatis, quātenus hanc interdicti & excommunicationis sententiam singulis diebus Dominicis, & festivis per totum Austriæ Ducatū faceret publicari.] Decretum istud, quod teste Radulpho Dicetano [Romæ ad S. Petrum VIII. Idus Junij Pontificatus anno quarto,] Cœlestinus dederat, Præsulque Veronensis Principi denuntiaverat; plerosque in eam opinionem attraxit, ut insolitas Danubij exundantis illuviones, dirāmque in agris, & vineis sterilitatem, ac erumpentia passim incendia, quibus etiam Vienna flagraverat, tanquam ultricia irati Numinis flagella expavescerent; graviora exinde mala, nī Dux resipisceret, metuentes. At Leopoldus his insuper habitis, quæ tanquam fortuita continebat, improviso furore adeò excanduit; ut adjectâ etiam jurisjurandi religione comminatus sit, prout Rogerius Hovedenus refert, [quod omnes obsides Regis Angliæ, quos ipse habebat, capitalem subirent sententiam, nisi in proximo perficerentur ei à Rege Angliæ omnes conventiones, quas cum illo fecerat. Unde factum est, quod Baldevinus de Betun, qui unus erat ex illis, qui dati fuerant Duci Austriæ pro redemptione Regis Angliæ obsides, ex communi obli-

obsidum consilio missus est ad Regem Angliæ ad indicandum ei Ducis propositum ; qui cùm venisset, misertus illorum Rex dedit srotrem Arthuri Ducis ad maritandum filio Ducis Austricæ , & filiam Imperatoris de Cypro ( Isaacij Comneni ) tradendam in manus Ducis Austricæ quietam. ] Hanc etenim Princeps ob Theodoram matrem , Henrici Parentis conjugem , arcto sanguinis vinculo adstrictam habebat.

IV. Decesserat interea Tancredus Siculus, geminique regni solium Guilielmo filio sub matris tutela constituto reliquerat. Henricus itaque Augustus, ut debita sibi dudum sceptrum occuparet, quemadmodum Anonymus Cassinensis narrat, [ mense Junio Italiam ingreditur, ac Pisis, & Januæ parat exercitum navalem. - Deinde transit in Apuliam , & nullo resistente per Calabriam venit Messanam. Wilhelmus novus Regulus, dimiso palatio matri, recipit se in castrum munitum, - quo viso populus Panormitanus Imperatorem vocat. At ille præmissis nuntiis, & foedere facto cum Regina de dando sibi comitatu Licij, & filio principatu Tarenti properat, & magnificè Panormum ingrediens in palatium recipitur. Nec multò post idem Regulus fortunam cum corona deponens ad pedes ejus venit. ] Bellò igitur confectò Imperator, ut Radulphus Dicetanus addit,

[ X.

[X. Kal. Novembris regni diadema suscepit.] Tranquilla videbantur omnia, cùm repente feralis turbo superstitem Tancredi familiam, plurimósque regni magnates obruit. Augustus siquidem, testante Richardo de sancto Germano, [ die Natalis Domini regens Panormi curiam generalem, præfatam Reginam, & filium ejus, nec non & alios quamplures præsules, & comites Regni, quibus ipse prodigionis notam imponebat, indicio Petri Celani comitis capi fecit, ] vinculisque constrictos in ergastula detrusit. Miserandam horum catastrophen annus proximus dabit, dum Cæsari Henrico interim Constantia Augusta, prout idem Historicus subjungit: [ in Civitate Marchiæ ( videlicet Anconitanæ, ) filium peperit, nomine Fredericum, mense Decembri in festo sancti Stephani, ] qui postea Imperij Romani purpurae adeptus est,

V. Verum hæc eadem Divi Protomartyris dies, quæ futuro Cæsari natalis illuxerat, funestissimo inter ludos equestres casu nostrum Principem afflixit. Ex Austria sacris interdicta in Styriam Leopoldus venerat, cuius in metropoli, ut Guilielmus Neoburgensis refert, [ Dominici natalis solemnitatem in multa ostentatione, & gloria celebrare voluit. Et die quidem primo gloriosus effulxit, in crastino verò gloriam DEO

dedit. Cùm enim in natali Beati Stephani jam pransus exisset, ut in campo cum suis militibus luderet, fortè equus ejus decidens, sessorem quoque dejecit, pedemque ejus ita comminuit, ut ossa hinc inde confracta ruptâ cute exterius prominenter. Acciti mox medici adhibuere, quæ expedire credebant. In crastino verò pes ita denigratus apparuit, ut à medicis incidendus decerneretur, quod cùm ipse præ vitæ amore fieri postularet; non est inventus vel medicus, vel familiaris, vel filius, qui hoc patraret. Tandem accitus cubicularius ejus, & ad hoc coactus, dum ipse Dux dolabram manu propria tibiæ apponenter, malleo vibrato vix trina percussione pedem abscidit. Medici verò appositis medicaminibus, cùm eum in crastino visitarent, signis haud ambiguis mortem esse in januis cognoscentes, vultu & voce dixerunt: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives. Desperatus igitur accitis episcopis, qui ad solemnitatem invitati venerant, in conspectu optimatum à vinculo anathematis, quo eum Romanus innodaverat Pontifex, petiit relaxari. Responsum est ab universo Clero: quod nullatenus posset absolviri, nisi sub juratoria cautione, quod super injuriis Regi Anglorum illatis judicio Ecclesiæ staret. Hac cautione solemniter præstítâ absolutio-  
nis munus promeruit, moxque obsides Re-  
gis

gis Anglorum liberari præcepit, - cùm post modicum ingravescente molestia expirâsse. ] Hæc prolixiore calamo Neobrugensis, cui etiam Matthæus Paris, & Rogerius Hovedenus consonant, tacentibus propemodùm scriptoribus domesticis, quos inter vetustus Bibliothecæ Academicæ Viennensis Chronologus solùm ita loquitur : [ Leupoldus Dux sequenti die Natalis Domini circa castrum Gretz equo lapsus secundo Kal. Januarij moritur, & in domo sanctæ Crucis sepelitur. ] Discrepat nonnihil sepulchrale marmor, cuius limbo insculpta epigraphe : **III. KAL. JANUARIJ o LIUPOLDUS DUX AUSTRIE, ET STIRIE.**

VI. Haud tamen obseurè hæc eadem diversitas arguit ; Principem nocte media inter diei utriusque confinia ultimùm vixisse, cùm primam lucem anno præsentis sæculi quinquagesimo septimo aspexisset. Henrico I. æquè nominis, ac dignitatis ordine, Duce Austriaco, & Theodorâ Cæsarî Orientalis filiâ genitus, anno dein septuagesimo quarto cum Henrico Medlicensi fratre natu minore, eâdem die cingulum militare sumpsit, quâ Helenam, Belæ III. Regis Hungariæ sororem, in thalamum adscivit. Hæc sanè temporis epocha rursum evincit, non potuisse Ottocarum Ducem I. qui jam anno octuagesimo quarto contabescere cœperat, Leo-

poldi generum fuisse. Parente ad annum septuagesimum septimum è vivis sublato, Austriam iis virtutibus rexerat, ut Styria quoque felicem se crederet, dum anno nonagesimo secundo ejusdem gubernacula cappesseret. Virtuosi nomen, quod bellica præcæteris fortitudo dederat, illibatum penitus tumulo intulisset, nî Vaticano perstringi fulmine, quam hosti Anglo ignoscere maluisset. Ignovit tamen, priusquam decederet, pristinamque contumaciam, serâ quidem, attamen seriâ pœnitentiâ correxit. Ultima siquidem inter suspiria attonsis crinibus cucullum induit, ut Numinis tribunal non amplius Dux purpuratus, sed Cisterciensis monachus adiret. Hoc siquidem de illo superstes in Bibliotheca Augusta fragmentum chronologicum: [ Liupoldus Dux Austriæ & Styriæ lapso pede, & confracto monachus efficitur, & in brevi vita privatur. ] Atque ideo pariter in necrologio parthenonis Admontensis legitur: [ Pridie Kal. Januarij Liupoldus ex Duce monachus, ] acturus haud dubiè diutius Principem, si non tam suis præesse populis, quam Christi Vicario subesse didicisset.



LEO-

# LEOPOLDUS II.

## GLORIOSUS,

### Dux Styriæ III.

*A. 1195.* Exordiente igitur novo Anno MCXCV. novi pariter Austriæ, Styriæque Duces sunt exorti. Defuncto siquidem Parenti Virtuosomox divisis provinciarum fascibus, ut Chronologus Admontensis ait : [ filij successerunt, Fridericus quidem in Ducatu Austriæ, Luipoldus in Ducatu Styriæ. ] Prima utrique funeris paterni cura , quod Græciō ad inclytum Divæ Crucis in memore Viennensi cœnobium, comitantibus lugubri apparatu Præfulibus , deportatum est. Postremis tamen officiis remoram injecit Fridericus filius , dum teste Guilielmo Neubrugensi , [ nè ultima Patris defuncti voluntas impleretur, adjunctis sibi quibusdam nobilibus obstitit. - Unde factum est per laudabilem cleri zelum , ut tanti Ducis corpus diebus aliquot inhumatum inobedienti filio maculam irrogaret, qui tandem consternatus memoratos obsides absolute relaxavit , eisque quatuor marcarum millia Regi Anglorum reportanda contradere voluit. At illi propter viarum pericula expediti repatriare maluerunt. ] Eodem porro tempore , cùm

redux è Britatinia, ut Rogerius Hovedenus addit, [ Baldewinus de Betun appropinquâs set terram Ducis Austriæ, & audiisset mortem illius, non processit ulteriùs, sed ad Regem Angliæ rediit, & reduxit præfatas pueras, ] quarum altera cæteroquin ex pactis cum Richardo initis Friderici thalamo debebatur. Levis hæc jactura, expeditissètque argentum pariter fuisse reportatum, nè instauratâ iterum querimoniâ Dux noster Leopoldus impeteretur.

II. At Imperator perduellibus Siciliæ magnatibus in vincula conjectis habitisque ad ferias paschales Barij in Apulia comitiis, Constantiam cum Friderico Porphyrogenito Siciliæ interim gubernandæ causâ Panormum destinavit; ipsemet verò, prout Otto San Blasianus scribit, [ repatriare disposuit; nobilésque captivos triumpho reservans in Germaniam præmisit, locis opportunis exiliatos conservari præcipiens. Nam filium Tancredi Regis adhuc puerum, in Rhætiam Curiensem perductum oculis privari, & in castro Amiso, perpetuæ captivitati addictum custodiri præcepit. - Sponsam verò ipsius ( videlicet Irenem, postea Mariam Augustam ) filiam Constantinopolis Imperatoris Philippo fratri suo despontavit, reginamque Apuliæ, uxorem Tancredi, Sibillam nomine, filiamque ejus apud monasterium Virginum, Hohen-

henburch dictum, in Alsatia custodiæ mancipavit. - Sicque victoriosissimus, & terra, marique potens Augustus in Germaniam rediens repatriavit, ] cum interim Isaacius Angelus, Orientis Cæsar, eandem fortunæ vicissitudinem, quam destinatus quondam gener, Guilielmus Siculus, pateretur. Etenim mense Mayo per Alexium fratrem, fusiùs id prosequente Niceta, imperio, oculisque privatus, atque in carcerem detrusus est; compatientis sanè animi affectione dignus, si quam patrata olim in Fridericum Augustum perfidia mereretur.

III. Æmulabatur econtra piūm divi Cæsaris exemplum Henricus filius, ubi teste Arnoldo Lubecensi, [ sicut Pater ejus priorem, ita ipse secundam devotus ordinavit peregrinationem, quum apud Argentinam in curiali colloquio acceptis epistolis Domini Papæ Coelestini à venerabili Cardinale Gregorio omni devotione se huic peregrinationi obsecuturum affirmavit. ] Ut ergo sacri belli tesseram proponeret, quemadmodum Guilielmus Neobrigensis narrat, [ circa solemnitatem Beati Andreæ Apostoli convocatis apud Wormatiam primis Imperij ecclesiasticis pariter, laicisque personis, & devotione propria cunctis declarata ad æmulandum pro Christo sublimi exemplo provocavit plurimos. Denique sedente eo solemniti-

ter in cathedrali ecclesia, & consedente, qui ad hoc ipsum venerat, Apostolicæ Sedis legato, cum omni frequentia in clytorum ; his, qui sapientiâ, dignitate, & facundiâ præcellebant, per dies singulos in auribus Christianæ multitudinis potenti eloquio declamantibus, tantus fidei & devotionis in animis audientium fervor incanduit, ut fas esset dicere: *Digitus DEI est hic.*] Etenim si Chronologum Admontensem audire placet, [in ipso loco Moguntinus, Coloniensis, & Bremensis Archi-Episcopi, Ratisponensis, Heribipolensis, & Pragensis Episcopi, nec non Dux Saxonie, Dux Meraniae, Dalmatiaeque, Dux Austriae (nimirum Fridericus Leopoldi frater) Dux Carinthiae, & Palatinus Comes de Rheno, cum aliis principibus crucem acceperunt.] Igitur, ut Neobrügensis subdit, [magnis Præfulibus, & præclaris Ducibus cum multitudine virorum fortium dominicum characterem per dies singulos certatim sumentibus, ipse quoque Imperator paratus fuit eodem signo cum cæteris insigniri. Verum hoc ab omnibus altiori consilio dissuasus est, allegantibus, christianæ expeditioni conducere, ut in imperio manens de vi etualibus progresso exercitui transmittendis, propensiore cura satageret, & cum res posceret, supplementa militiae mitteret.]

IV. Cæterūm hoc anno, ut brevissimē Chronicon Admontense notat [ Wernherus Gurcensis episcopus obiit, ] qui ex claustrī Neoburgensis Præposito, ante biennium Theodorico suffectus, Archimystæ Salisburgensis vices per Styriam egerat. Successor eidem datus est [ Eckehardus Præpositus Soliensis. ] Vitam quoque pientissimē aetam, Wilhelmus Abbas, ē dynastarum Mureggen-sium stirpe oriundus posuit, cùm Cistercium Runense annis sex magna cum laude gubernasset. Erat siquidem, prout charta dome-stica loquitur: [ Vir columbinæ simplicitatis, & sacræ religionis zelator servidus, qui plūs spiritualibus, quàm temporalibus insudans, libris sacræ legis comparandis animum ap-plicuit; ] utpote haud ignarus, quod in hi-sce potissimus ascetarum thesaurus contine-retur. Ad cœnobij regimen mox Conradus, ordine antistes quartus, assumptus est.

A. 1196. At Leopoldus Dux A. MCXCVI. ereptum mortalibus avunculum, Belam III. Hungariæ Regem luxit. Sic etenim Alberi-cus: [ Bela, Rex Hungariæ, moritur in cœna Domini ( videlicet XIV. Kal. Maij ) de cuius potionatione contra quendam Episcopum Alanum orta fuit suspicio. ] Hanc tamen fuisse inanem, altum reliquorum silentium arguit. Singularem relictæ viduæ pietatem, Rogerius Hoveden⁹ hac periodo commendat:

[ Obiit Bela, Rex Hungariæ, post cuius obitum Margaretha Uxor ejus, soror Philippi Regis Franciæ, quæ quondam extiterat Regina Angliæ, uxor Henrici Regis Junioris, accepit crucem Jerosolymitanæ profectio-nis, & in terra Jerosolymitana apud Accon in DEI servitio permanfit, usque ad consum-mationem vitæ suæ. ]

II. Fervebat enim hoc tempore sacri belli apparatus, ejusque promovendi causâ Hen-  
ricus Augustus Conradum, Herbipolensem  
episcopum, in Siciliam præmiserat, ut naves  
ad deportandum in Asiam exercitum ador-naret. Ipse met verò solicitus, ut Frideri-cum porphyrogenitum Imperij successorem  
obtineret, electoralia comitia, eadémque  
haud irrita, indixit. De his Chronologus  
Admontensis: [ Henricus Imperator curiam  
Ratisponæ celebravit, & filium suum Fride-  
ricum, adhuc infantem, in Regem eligi impe-travit, subscriptione à principibus factâ.] De-signatâ igitur filio purpurâ Cæsar, prout Otto  
San- Blasianus narrat [ contracto exercitu  
tertia vice Italiam intravit, - cunctaque in  
Tuscia, & Campania pro libito disponens  
in Apuliam & Calabriam divertit, ibique po-tenter residens ad obtinendam Græciam,  
Imperiūmque Constantinopolitanum inten-dit animum. Nam bello intestino, fraternâ-  
que discordiâ pro regno exhaustam Græciam  
con-

considerans, quo id modo fieret, sagaci mente tractabat. Inter hæc Imperator Græcorum ( videlicet Isaacius Angelus ) missis ad eum legatis, auxilium ipsius contra fratrem suum quæsivit, qui habitâ deliberatione, omnes ad id voluntarios, auróque Græcorum solicitatos milites illuc direxit. - Hujus cæci Regis filiam, filio Tancredi, ut supra retulimus, desponsatam, Imperator Henricus apud Palermum repertam Philippo fratri suo desponsaverat; hácque de causa idem cæcus Imperator, desperatis rebus, ipsum Philippum cum filia heredem regni, à fratre ablati, adoptaverat. & ut hoc consequetur, opem Augusti assiduè sperabat. ] Sacra tamen expeditio in subsequi anni æstatem differri debuit, quòd deficiente ob publicam in Germania sterilitatem annonâ Principes ad signa militem evocare prohiberentur.

III. Inter hæc Archimystra noster proculcatam per rebelles subditos legum reverentiam severâ quidem, justâ tamen ultione prosecutus est. Nescio, quorum reos scelerum oppidi Hallensis cives divinis abesse, obsecratisque templorum januis, velut profanos arceri jussérat. Risere hanc poenam contumaces, tristésque illas sacrorum ferias credidere Bacchanalia, quibus ad majorem vitæ licentiam abuterentur. Haud igitur Præsul amplius connivendum ratus, injectis per militem

Item expeditum facibus urbem succendit,  
nulloque grassantium flamarum vim pro-  
hibere auso, funditus evertit. Meminit hu-  
jus excidij annalista Admontensis : [ Alber-  
tus Archi-Episcopus Salzburgensis, dum Hal-  
lenses pro sua contumacia à divinis suspen-  
sus flectere non potuisset ; civitatē eorum in-  
cendio delevit simul cum ecclesiis, excepto  
monasterio regularium sancti Zenonis.] Ma-  
luit nempe divitis licet oppidi jacturam fa-  
cere, quam invisos superis cives diutius to-  
lerare. Hoc eodem anno inlytum Secco-  
viense collegiū IV. Kal. Octob. Wernherum  
antistitem non tam perdidit, quam canā vir-  
tute conspicuum, & diurno regimine fes-  
sum ad exoptatam dudū beatorum requiem  
dimisit. Primas ille colonias ē Basilica Sa-  
lisburgensi jam anno quadragesimo deduxe-  
rat, alteroque in Præpositum electus, adus-  
que præsentem autumnum eā felicitate rexe-  
rat, ut grandia sui asceterij incrementa latus  
senecio cerneret, priusquam placidissimo  
agone obdormiseret verius, quam morere-  
tur. Occupavit mox unanimes diligentium  
calculos Geroldus, hucusque Decani mu-  
nere functus, qui ob singularem pruden-  
tiā, vigilantiam, ac pietatem præfulari fa-  
stigio dignissimus habebatur.

A. 1197. Nova interim perduellio ad-  
versus Cæsarem à Siciliæ magnatibus cude-  
ba-

batur, designato insuper Rege, cui cæso per insidias Germano milite diadema impone-rent. Haud adeò clam ista geri poterant, quin fidis quorundam literis Cæsar, qui Capuæ hybernaverat, de imminente periculo mo-neretur. Igitur ineunte A. MCXCVII, raptis secum lectissimis cohortibus adeò celeriter conjuratos obruit, ut teste Arnoldo Lube-censi, [adversarios suos comprehendenderet, & dignam de eis ultionem caperet. Et illi quidem, quem contra se regem creaverant, clavis acutissimis cum ipso diademate caput transfixit ; filios (fors melius legeretur : illos) autem suspendio, aut incendio, aut aliis damnavit suppliciis.] Oppressâ felici-ter seditione Cæsar Ducatum Sueviæ, quem Conradus, sobole destitutus, annoque præ-cedente seu ferro, seu morbo extinctus reli-querat, fratri Philippo contulit. Hic ergo è Sicilia, prout Otto San-Blasianus memo-rat, [in Alemanniam perveniens apud Au-gustum urbem in Pentecoste armis cinctus nuptias magnificè celebravit,] desponsam-que dudum Irenem in torum recepit,

II. Dum hæc agerentur, Leopoldo Duci nostro Fridericus frater Austriacus suprema inter oscula, utpote impedientibus fatis haud amplius redditurus, valedixit. Quam-vis etenim gravissimâ frugum inopiâ etiam-num laboraret Germania, plerique tamen  
Prin-

Principum, contractis ad signa legionibus, in Orientem festinabant. Prosequitur horum iter, & inchoatum felicibus auspiciis bellum Arnoldus Lubecensis, dum ita scribit: [Circa festum Beati Ægidij de Messana civitate profecti, ad portum Accon in festo Beati Mauritij cum summa tranquillitate, & salute, integroque navium numero applicuerunt. - Congregatis itaque navibus, & convenientibus DEI filiis in unum, factum est gaudium non modicum de coadunatione, & devotione tantæ ecclesiæ ibidem in Christo congregatæ. - Econtra hostes turbabantur timore non modico; - unde etiam multa loca munita, quæ fiducialiter inhababant, audito ipsorum introitu deserta relinquentes ad tutiora commigrabant. Coadunato igitur exercitu, ut dictum est, omnes pariter adierunt Tyrum. Ibi contemplatis viribus suis & armis, ordinaverunt acies adversus Sidonem; equestres quidem terrestri viâ usi sunt, cæteri verò navali itinere perrexerunt. Venientes itaque ad Sidonem sine habitatore, & rebus eam invenerunt. - Destructâ Sidone ad Sareptam Sidoniorum, - inde ad Baruth ( seu Berythum ) facies converterunt, cujus habitatores quidem civitatem neglegtam reliquerunt; castrum verò nobilissimum civitati contiguum, viris fortissimis muniverunt. Hostes ergo territi-

per loca deserta, & invia fugere cœperunt, - servi autem Christi civitatem, & castrum gaudenter intraverunt. - Moram autem ibi exercitu faciente, & muros civitatis destruetæ suscitante, sinistra fama de morte Imperatoris illuc pervenit, quæ non parvam populo DEI fecit tristitiam.]

III. Ferali siquidem oppressus morbo, quo sub ipsum classis abitum tentari cœperat, Henricus VI. Cæsar Augustus, Messanæ IV. Kal. Octobris vitam exuit. Inexpectatus hic obitus, ut lætus Italos, ita Germanis luctuosus accidit; quia nempe Cæsar, prout San-Blasianus ait, [ aliarum terrarum divitiis eos claros reddidit, terrorēmque eorum omnibus per circuitum nationibus incussit, eosque præstantiores aliis gentibus nimium ostendit futuros, nî morte præventus foret.] Hanc porro spem fortunatus armorum progressus dederat, quo Alexius Angelus fraterni diadematis invasor adeò perculsus erat, ut teste Niceta, impositum sibi tributum Alemannicum Cæsari solveret, Armeniæ verò, & Cypri Reges adeò erecti, ut excussō Græcorum imperiō coronas ab Henrico, teste Arnoldo Lubecensi, supplices postularent. Sed eam bellicæ virtutis gloriam offuscavit etumpens sæpe animi ferocia, quâ in sacros etiam Præfules desæviit, dum Episcopum Auxumanum per satellites pugnis cædi,

pedibúsque conculcari, Albertum verò Leodiensem Antistitem, Ecclesiæque Romanæ Cardinalem, per sicarios interimi jussit. Nec defuere, qui cruentā nimis adversūs Siculos quantumlibet perduelles vindictam detestarentur, cāque exasperatam Constantiam Augustam medicatum conjugi ægrotanti poculum miscuisse affirmarent. Eam verò calumniam Abbas Urspergensis diluit, dum hisce verbis & Augusti pingit effigiem, & Augustæ apologiam scribit: [Erat Imperator Henricus prudens ingenio, facundus eloquio, facie satīs decorā, plus tamen macilenta, staturā mediocri, corpore tenuis, & debilis, acer animo, ideoque inimicis suis pavendus, & terribilis. - Multi asserebant eum interiisse veneno, procurante uxore sua, pro eo, quod nepotes ipsius suppliciis interfecerat; quod tamen non est verisimile, & qui cum ipso eo tempore erant familiarissimi, hoc inficiabantur. Audivi ego idipsum à Domino Chunrado, qui postmodùm fuit Abbas Præmonstratensis, & tunc in sacerdotali habitu constitutus, in camera Imperatoris extitit familiarissimus. ] Hæc Abbatis testimonio fatus Abbas, etsi alioquin eatenus aberret, quatenus Henrici mortem subsequum in annum differt.

IV. Interea Suevorum Dux Philippus, fraterni nondum fati conscius, è Germania in Italiam

Italiam properaverat Fridericum nepotē ad capessenda Imperij insignia reducturus. Accelerato itinere, ut Abbas laudatus refert, [processerat usque ad montē Falconis (legendum : Flasconis) castrum quoddam apud Viterbium, ubi de morte Imperatoris nuntiatum est ei; ortaque est seditio, - contra Teutonicos, qui tunc in partibus Italiæ demorabantur. Unde in castro eodem quidam de familia Ducis occidebantur, - & ipse Dux in magno discrimine ab Italia recessit, & laboriosè pervenit in Alemanniam, ] Augustalem quoque purpuram, sed proprio deum sanguine imbuendam adepturus. Intestino bello eodem tempore ardere cœperat Hungaria, dum teste Chronologo Admontensi: [Andreas, qui crucifer dicebatur, frater Henrici (seu Emerici) Regis, contra fratrem surrexit, ] ut eidem relictum à Bela Parente sceptrum eriperet, aut certè nonnullas provincias extorqueret. Incendium istud, quod postea quoque Austriam, Styriamque afflaverat, excusso sacro fulmine summus Pontifex extinguere nitebatur, sed ipsem et haud diu superstes ante oculos clausit, quam restitutam Hungariæ pacem liceret intueri.

A. 1198. Quippe Anno MCXCVIII. teste Rogerio Hovedeno, [ Coelestinus Papa III. senio & gravi morbo laborans obiit Romæ

mense Januario , sexto Idus ejusdem mensis , - septimo anno Papatus sui , & Laterani sepultus est . ] Id ipsum successor ejusdem Lotharius , è Comitibus Signiae , SS. Sergij & Bacchi Diaconus Cardinalis in datis postri- die de sua electione encyclicis testatus est . Non tamen ante VIII. Kal. Martij , quæ An- tiochenæ Divi Petri Cathedræ memoriam recolit , Vaticanum unctione perceptâ so- lium Innocentius III. adiit , cùm eodem fer- me tempore celerem è Palæstina redditum sacri belliduces adornarent . Hebetaverat Principum adversus Barbaros decertantium gladios intempestivus Cæsaris obitus , quo cum omnis auxiliorum spes extincta erat . Accedebat insuper metus ; nè contemptâ Friderici , etsi alias ad Imperium electi pue- ritiâ , Principes reliqui absentium provincias Iatrociniis invaderent , aut fors etiam novum Cæsarem , dubium : an Asiatico distentis bello hostem , an amicum , salutarent . Cùm igi- tur solutâ Coruthi obsidione , prout Arnol- dus Lubecensis refert , [ apud Tyrum & Ac- con se receperissent , - adveniente Martio as- censis navibus , favente Zephyro omnes fere principes cum melioribus populi ad sua re- dierunt . Remansit Dominus Moguntinus , & Dominus Verdensis , & quidam de nobi- lioribus , ] quos inter Princeps Austriacus numerabatur . At nondum alter à classis abi- tu

tu mensis elapsus erat, cùm teste Necrologio Melicensi [ XVI. Kal. Maij Fridericus Dux Austriæ obiit.] Fraternis proinde fascibus ad nostrum Principem devolutis, rursus utraque Provincia coaluit, ut breviter Chronicon Australe notat: [ Fridericus Dux Austriæ peregrè moritur; Luipoldus frater Dux Styriæ successit.]

**II** Neque reduces ex Asia Principes suspicio fecellerat, quòd novus interim Cæsar deligidendus sit. Priusquam enim Germaniam attingerent, Adolphus Coloniensis, & Joannes Trevirensis electoralia ad VIII. Id<sup>9</sup> Martij comitia indixerant, evocato singulariter Bertholdo Duce Zaringio, quem purpurae candidatum designabant. Evertit hanc machinam Philippus Suevorum Dux, qui excluso Friderico nepote, sibi potius, quam alteri Orbis Romani fasces deferri cupiebat. Præoccupatis igitur Principum reliquorum suffragiis Erfurti Rex salutatus, magnâ vi auri Bertholdo persuasit, ut votis absisteret, Præsulésque cum exercitu reditum expectantes deluderet. Hos tamen, et si grandibus promissis, flectere non potuit, quominus iteratò in partes secederent, imperiumque Ottoni Dynastæ Brunsvicensi, Henrici Leonis, quondam Saxoniæ, Bavariæque Ducis filio deferrent; haud ignari, Henricum fratrem, Rheni Palatinum, quam-

primum e Palæstina redux penates attigerit, in eadem vota descensurum. Philippus ergo, qui regalia secum insignia detulerat, Wormatiæ Nonis Aprilibus coronatus, Otto e contra Aquisgrani IV. Nonas Julij ab Adolpho Agrippinate unctus, Carolique Magni solio impositus est. Hæc igitur, quæ Godfridus Coloniensis fusiùs exponit, fuere bellicivilis initia, quo deinde Germania integrō fernie decennio concussa est, dum Philippi castra Bohemiæ, Saxonie, Bavariæque Principes, pariterque Dux noster Leopoldus; Ottonis verò plerique ad Rhenum optimates, saepe tamen mutatis partium vexillis sequerentur.

III. Neque æmulis defuere Regum extitorum studia, quibus per legatos, literasque ad summum Pontificem, velut arbitrum controversiæ expeditas, ab Odorico Raynaldo in Ecclesiasticis annalibus recitatas, Philippus Gallus Philippi Suevi, Richardus Anglus Ottonis nepotis causam tuebatur. Institit præterea innovatis adversus Principem nostrum querelis Anglus, ut argentum, quod lytri nomine Parens Austriacus accepérat, filius reddere compelleretur. Obsecundavit regio postulato Innocentius, dum sequentem Leopoldo epistolam misit. [Nobili viro, filio Ducis Austriæ. In eo sumus officio disponente Domino constituti, ut singulorum,

lorum, & omnium saluti consulere debeamus, & universis potentibus, tam majoribus, quam minoribus, in executione iustitiae providere. Sanè, quam graves iuriias & jaēturas carissimo in Christo filio nostro R. Illustri Regi Anglorum à crucis obsequio revertenti Dux Austriæ, pater tuus intulerit, nullum Christiani nominis professorem credimus ignorare. Quæ res tantò profundiùs Romanam tangit Ecclesiam, quantò injuriæ Regi eidem illatæ, in ejus injuriam, & ignominiam noscuntur graviùs redundare, cùm ipsi Regi nondum fuerit satisfactum, licet non credamus à tua memoria excidisse, quod Divinâ gratiâ inspirante prædictus pater tuus suum recognoscens excessum, ablata pecuniam ipsi Regi non solùm reddi præcepit, verùm etiam à te, & ab aliis familiaribus suis, & fidelibus, qui præsentes aderant, super solutione ipsius pecuniæ præstari fecerit corporaliter juramentum. Quia igitur tanti excessus injuriam clausis oculis præterire non possumus, nec debemus; nobilitatem tuam monemus, & exhortamur in Domino, atque in remissionem injungimus peccatorum: quatenus tam tuæ, quam animæ Patris tui saluti, juxta præstitum à te prævidens juramentum, prænominato Regi pecuniam sine difficultate restituas antedictam, & de iuriis irrogatis satisfactionem con-

gruam non differas exhibere. Alioquin novetis, nos venerabili fratri nostro Salzburgensi Archi-Episcopo dedisse firmiter in mandatis, ut te ad hæc per excommunicationis sententiam in personam, & interdicti in terram, contradictionis occasione, & appellatione cessantibus, monitione præmissâ compellere non omittat. Datum Romæ apud S. Petrum III. Kal. Junij, Pontificatus nostri anno primo.] Dederat enimvero in eundem finem Adalberto mandata Pontifex, non tamen ulterius quidquam ea in causa actum legitur; an quia Leopoldus imperata præstitit? an quia Richardus eadem urgere destitit?

IV. Verùm Adalbertus ipsem et hoc eodem anno, dum juxta rivum Lameram iter ageret, perduellum quorundam subditorum latrocinio per insidias circumventus, atque in arcem Werffensem, quam olim ad Præfulum tutelam Divus Gebhardus erexit, nefariè abreptus, profundosque in carceres detrusus est. Atrocis adeò rei nuntius non solùm in ipsa metropoli, sed adsitis quoque provinciis tantum illicò luctum excivit, ut obseratis omnium templorum foribus triste sacris justitium indiceretur. Exhorruere publico mœrore attoniti facinus sacrilegum rebelles, ideoque postulatâ, facileque obtentâ criminis veniâ mox liberum

anti-

antistitem dimisere. Hinc mutata rerum facies, & nova lux oriri visa, ut propemodum operæ pretium videretur, sic doluisse. Reditus exemplò aris squalentibus honos, lætumque resonante turrium ære liberatori DEO carmen decantatum est. Sic etenim Henrici Steronis Chronicon : [ Adalbertus Archi-Episcopus Salzburgensis circa fluvium, qui dicitur Lamer, à ministerialibus capitur, & in castro Wuren ( seu Werven ) per dies XIV. captus tenetur. Propter quam enor- mitatem facti divina in Salzburgensi ecclesia, aliisque episcopatibus vicinis interdicta sunt. *Liberasti nos ex afflgentibus, cantatum est eo dimisso.*] Etsi verò patrati facinoris cau- sam annalista non exprimat, perquām facile tamen suspicari licet ; sceleris auctores eos fuisse, quos exustum mandato Præsulis Hallæ divitis oppidum in rabiem egerat.

*A. 1199.* Ambiguo interim Marte ab Imperij Romani æmulis certatum erat, cùm res Ottonis Anno MCXCIX. per cruentam Regis avunculi necem prolabi visæ. Obsederat Richardus Anglus Chalusiam arcem, quòd Vidomarus, Limovicensis vice Comitis præfetus grandem thesaurum in agris propriis fortuitò effossum Regi integrum cedere no- luisset. Dum verò majori ferocia, quām prudentia insultum adornat, brachioque

nudato militibus imperia distribuit, lethali sagittæ ictu saucius, ut Rogerius Hovedenus narrat [decessit VIII. Idus Aprilis, feriâ III. ante dominicam in ramis palmarum.] Hinc accisæ Ottoni vires, quod Joannes Richardi frater, & successor haud amplius nepoti militum stipendia, etsi tabulis supremis jussa, mitteret. Philippus ergo, ut Abbas Urspergensis refert [ad obsidionem Argentinensis civitatis properavit, ubi suburbia prius incendit, & terras vastare cœpit. Tunc videntes cives se non posse resistere, Philippum tanquam Dominum proprium in civitatem receperunt, & ei fidelitatem juraverunt; Episcopus quoque in gratiam ipsius rediit.] Argentini Praefulsi exemplum secutus Trevicensis, Philippum Moguntiam comitatus est, ibidemque subscripsit diplomati per Gewoldum edito, vi cuius Adalberto Antistiti amplissima Principatus Salisburgensis jura III. Kal. Octobris fuere confirmata.

II. Non tamen Philippo cum foederatis Principibus Dux noster aderat, quod decer-tantium in Hungaria fratrum bello implicatus teneretur. Andreas Croatian, Dalmatiāmque Venetis, Rasciam Culmiāmque Græcis extorserat, sed annuis earum provinciarum vectigalibus, quas Ducis titulo possidebat, haud contentus, arma in fraterem verterat. Verū acie victus, totoque regno

gno exturbatus ad Leopoldum fugit, cùm testante Australi Chronico [ Emericus Rex fratrem expulsum persequens terminos Austriæ prædâ vastavit, & igne. ] Irritatus ea incursione Princeps militares fugitivo suppeditas dedit, queis redux amissas recuperaret provincias, simûlque illata Austriæ damna ulcisceretur. Instauratis ergo viribus, ductoque rursus in fratrem exercitu, prout Godefridus Coloniensis ait: [ victoriâ potitus est Andreas, auxilio Ducis Austriæ Luipoldi. ] Sufficere hæc poterat, ut ditionibus receptis victor frueretur, nî felicibus elatum armis seu ambitio, seu avaritia impulisset, ut novos iterum delectus ageret, fratrique bellum denuntiaret. At Emericus nuperâ clade doctus, quantum Germano militi, in pugna præsertim stataria robur esset, quemadmodum laudatus Godefridus subdit: [ accitis Teutonicis, quorum ibi copia magna est, - fratrem devicit, occisis ex ejus parte multis, & captis. ] Exinde vel metu reciproco, vel pactis induciis arma quievêre.

III. Cæterùm Leopoldus Dux hoc eodem anno matrem Helenam, Geysæ II. Regis Hungariæ filiam, Emerici, ac Andreæ amitam, incertùm, quo mense extinctam, sepulchro intulit. Neque enim de illa quid amplius, præter has voces Chronicorum Australe continet: [ Helena Ducissa Austriæ obiit

obiit, ] addito simul viduæ Augustæ funere: [Constantia Imperatrix obiit, & parvum Fridericum hæredem reliquit. ] Cœnobiar-cham quoque suum, Rudolphum II. sancti Montes amisere. Prima vitæ sanctioris documenta in cognito nondum monasterio hauserat, unde postea singulari virtutum fama, quâ Montes prædicti latissimè resulge-bant, ultro excitus in Styriam venit. Etsi verò alias patentes, præter religiosam ve-stem, morumque candorem pius hospes non attulisset; benevolè tamen receptus, fra-trumque domesticorum numero aggregatus est. At ille horum animos tum exactâ pe-nitus vivendi disciplinâ, tum placidissimâ quâdum agendi consuetudine sibi adeò de-vinxit, ut post unius sexennij decursum junctis prope omnium votis Abbas eligeretur. Non tamen ea vota probavit Conradus III. Salisburgensis Archimyſta, quod legitimis, recepti sacerdotij tabulis careret, etsi jura-mento constrictus assereret: se ab Hermanno Constantiensi Episcopo fuisse inauguratum. Delatum igitur regimen Isenrico cedere co-aetus est, quod tamen post hujus fata instau-ratis iterum calculis resumpsit, annisque de-cem laudabiliter gessit. Funebrem illi diem ephemerides ad X. Kal. Novembr. statuunt, quam modico intervallo novi antistitis nun-cupatio secuta. Eandem Annalista dome-nicus

sticus cum antecessoris obitu sic connectit : [Rudolphus Abbas Admontensis quievit in Domino , pro quo Joannes Abbas Biburgensis , qui antea Prioratum Admontensem per multos annos tenuerat , eligitur , & à Domino Adalberto Archi-Episcopo investitur. ]

*A. 1200.* Postremus verò Sæculi duodecimi annus ipsum quoque Adalbertum ad debita virtutibus insulatis præmia evocavit. Uladislao Rege Bohemo , & Gertrude Austriaca , Divi Marchionis Leopoldi filiâ natus , arisque à prima infantia dicatus erat. Hinc ab aula remotus , & in Strahoviensi Præmonstratensium cœnobio educatus , pietate , literisque ætatem antevertit. Etiamnum adolescens Diaconis adscriptus , exinde Mielicensis Præpositus , post Conradi II. avunculi obitum , Salisburgensem quoque mitram anno sexagesimo octavo legitimis suffragiis assecutus est. Verùm à Cæsare illicè exturbatus in Bohemiam se recepit , unde posteà Venetias excitus , Conrado Moguntino ad annum septuagesimum septimum , mandato Pontificis cathedram reliquit. Recuperavit tamen anno octuagesimo tertio pristinam dignitatem , quam insigni nominis gloria auctam , postremò cum vita posuit. Encomia ejusdem Admontensis Chronologus hoc epि-

epitaphio complexus est. [ Anno MCC. Dominus Albertus Salzburgensis Archi-Epis-  
pus, trigesimo tertio ( legendum, secundo ) Archipræsulatūs sui anno post multa grava-  
mina, quæ passus est à Domino Friderico Imperatore ob defensionem sanctæ Ecclesiæ,  
& post plurimas infestationes iniquorum hominum contra eum , & sanctam Ecclesiam pro jussu, & voluntate Imperatoris sœvi-  
tium , tandem adjutorio DEI , ejusque no-  
bili providentia, ac industria, sopitis omni-  
bus majoribus, & minoribus , qui adversus  
eum arma tulerant, cùm jam divitiis , & ho-  
noribus omnes Juvavienses Archi-Epis-  
cos transcendisset , VII. Idus Aprilis diem  
clausit extrellum in sede Archi-Episcopatūs  
sui, ibique debita cum veneratione sepultus  
est . ] Addit porro idem scriptor : [ Mortuus  
est etiam Eckhardus Gurcensis Episcopus , ]  
ut proinde Archimystam suum haud longo  
temporis intervallo sit secutus. Habitis  
exinde comitiis Eberhardo II. è dynastarum  
Truchsensium familia architiara oblata est.  
Ad hanc firmandam orator in aulam Vati-  
canam missus, sed morte abreptus, prius-  
quam postulata impetraret. Exponit ista  
Chronicon Salisburgense. [ Adalbertus Archi-  
Episcopus Salzburgensis beatæ memoriæ ,  
VI. Idus Aprilis ( quam solummodo deposi-  
tionis, sive sepulturæ diem , necrologium  
Ad-

Admontense vocat ) obiit, cui Eberhardus Brixinensis Episcopus succedit. Bertholdus Præpositus ejusdem Ecclesiæ Romam pro pallio ab ipso destinatus , infecto negotio Romæ mortuus est, - cui Bernardus Præpositus Berchtesgadensis succedit, ] non quidem in munio oratoris , sed charactere dignitatis.

II. Rediverat interea post diuturnas in Asia, Italiāque moras, sub autumni præcedentis initium, Adalberti successor simul & antecessor Conradus Moguntinus, magnosque, sed irritos conatus impenderat, ut intestinum Germaniæ bellum quinquennalibus saltem induciis sopiretur. Relictis igitur inter arma infesta æmulis, quæ Philippo Brunsvicum obsidenti haud prospera fuere, eodem postulante Viennam contendit, ut inter Regem Hungariæ, Ducemque nostrum pacem componeret. Advenere pariter Eberhardus Salisburgensis , & Wolffgerus Pataviensis, à Principe invitati, ut equitum insignibus ornaretur. Sacra igitur inter solemnia , ut Chronicum Australe manuscriptum asserit, [ Liupoldus Dux Austriæ & Styriæ in die Pentecostes ( videlicet V. Kal. Junij , seu vicesimā octavā Maij ) ambitione magna accinctus est gladio, præsente Cunrado Moguntino, & Eberhardo Salzburgensi Archi-Episcopo, ] per Wolffgerum antistitem

tem Pataviensem, quod sacro hujus imperio  
urbs tota Viennensis eo tempore subesset.  
Neque multò post ejusdem Conradi operā  
non solum [ pax inter Regem Hungariæ, &  
Ducem Austriæ componitur, ] sed etiam  
Emericus adeò placatur, ut Andrea [ fratre  
in consortium Regni recepto ] exoptata du-  
dum tranquillitas rediisse videretur. Quod  
porrò isthic Australe Chronicon solum leviter  
attingit, Godefridus Coloniensis, et si præoc-  
cupata temporis epochâ pressius recenset.  
[ Cunradus Episcopus Ungariam intravit, ut  
discordiam fratrum sedaret, & ab utroque  
honorifice receptus est. Initio consilio, &  
habito consensu utriusque, & Ducis Au-  
striæ Luipoldi, omniumque Principum Un-  
gariæ, pacem tali modo statuit: ut signati  
cruce mare transirent, & regnum Ungariæ  
prædicto Duci Austriæ commendarent; ut  
siquis illorum morte præventus in transma-  
rinis partibus debitum carnis exolveret, su-  
pervivens rediens ad patriam regnum possi-  
deret. ] Excesserant hæc pæcta ipsius Con-  
radi vota, quæ tamen mox funditus evertit  
natus Emérico filius, quem parens excluso  
fratre hæredem coronæ nominavit.

III. Cæterum hic labor ultimus Conrado  
accidit. Vix etenim ex Ungaria reversus  
Austriam attigerat, cum morbo, senioque  
faticens VI. Kal. Novembris mortalia reli-  
quit.

quit. Originem Ottone parente, matre Heilika (ut eosdem fasti Admontenses nuncupant) è Palatina Comitum Witelspacensium familia duxerat, & inter Ecclesiæ Salisburgensis Canonicos à crepundiis adoleverat. Ob eximia corporis, animique decora secundo, & sexagesimo præsentis sæculi anno, à Friderico Cæsare ad cathedram Moguntinam electus, sed ab eodem, quod Alexandri Pontificis partes tueretur, rursum dejectus est. Igitur Romam profugus, episcopatum Sabinensem, & cardinalitiam dignitatem, velut debita constantiæ præmia obtinuit, pauloque post in Germaniam remissus Adalberto Salisburgensi, recens electo, pallium contulit, simûlque promovendis partibus Pontificiis invigilavit. Excepit senviente illâ tempestate magnum in aula sua hospitem Ottocarus Marchio, dein Dux Styriæ, ejusque nomen tabulis inferuit, quas Græcij in ecclesia S. Ægidij, anno septuagesimo quarto, XIV. Kal. Martij ascetis Seccoviensibus dedit. Abdicanti dein præsulare munus Adalberto, in congressu Venetiis habitu suffectus, novam Salisburgi basilicam à fundamentis moliri cœpit, sed priusquam illi coronidem adderet, ad Moguntinam infulam revocatus est. Hinc sacrâ expeditione in Orientem suscepτâ, Leoni Armeno diadema imposuit, ac inde redux vitæ reliquum

quum in reparanda tranquillitate publica  
Præsul mitissimus exegit. Restat, ut vetus  
quoque Chronicón à Serario de rebus Mo-  
guntinis allegatum audiamus. [Conradus  
Archi-Episcopus Moguntinus concordiâ in-  
ter Reges Hungariæ factâ, cùm ab Hungaria  
reverteretur, in partibus Austriæ, in territo-  
rio Pataviensi, carnis debitum solvit, in vi-  
gilia Simonis & Judæ; cujus cadaver cele-  
bratis defuncto exequiis, Wolffkerus ejus-  
dem loci Episcopus ad Moguntiam honori-  
ficè devexit, ibique sepelitur, ut desidera-  
verat.] Functus eo munio Pataviensis An-  
tistes, ut Godefridus Coloniensis subdit,  
[pro pace componenda inter Regem Otto-  
nem, & Philippum, inter Andernacum, &  
Confluentiam venit. Ad quod colloquium  
se contulerunt Coloniensis Archi-Episcopus,  
& Hermannus Monasteriensis, & Treviren-  
sis, & alij quām plures, sed quod consiliati  
sunt, processum non habuit.]

IV. Verūm inter eas Imperij Germanici  
procellas Styriæ nīl auspicatum magis eve-  
nire poterat, quām illatum valli Cellensi  
hoce eodem anno Augustissimæ Cœlitum Re-  
ginæ simulachrum. Amplissima Divi Lam-  
berti cœnobio latifundia, & inter hæc quo-  
que [in valle Avelenz centum regales mansus  
cum ecclesia ibidem constructa,] principi  
Apostolorum sacrâ, Henricus Dux Carin-  
thiæ,

thiae, Marquardi Fundatoris filius, initio  
hujus saeculi dederat, cum sub medium ejus-  
dem Hadrianus IV. Pontifex Maximus be-  
nignè annuit, ut in adiecta templo cellâ re-  
ligiosus ad divina celebranda manipulus per-  
petuò habitatet. At ingenti longitudine  
porrecta vallis, & transverso insuper jugo  
secta, perquam arduam remotioribus colo-  
nis semitam relinquebat, eamque hyber-  
nante cœlo plerisque immensâ nivium alti-  
tudine penitus obstructam. Nè sacris igitur  
officiis plebs rustica cateret, expeditus ad  
intima sylvatum, montiumque penetralia  
vir pientissimus ligneam ædiculam condidit,  
erectaque in medio arce elaboratam è tilia,  
suisque ornatam coloribus statuam im-  
posuit, futuram aliquando non solùm huic  
provinciæ, sed exteris quoque regnis Pal-  
ladium & asylum. Hæc porro cubitali  
magnitudine Virgineam DEI Genitricem  
exhibit, quæ dextrâ sustentato Pusioni  
Divinissimo pyrum offert; ast ille Matri affe-  
ctu reciproco pomum porrigit. Utriúsque  
vultum juncta majestati clementia sic tem-  
perat, ut intuentium animis arcano motu  
venerationem ingerat, simûlque ad ingen-  
tem fiduciam pia supplicum vota erigat. At-  
que hæc fuere Cellensis Basilicæ innumeris  
etiamnum beneficiis inclytæ, exigua quidem,  
felicissima tamen primordia, queis propitia

in Styriam sydera hoc sæculum coronârunt.  
 Quamvis etenim certa temporis æra in vetu-  
 stis membranis non suppetat, ut in synoptica  
 rerum Cellensium narratione vir Religiosissi-  
 mus, Christophorus Jager, San - Lambertini  
 cœnobij quondam Prior meritissimus, fate-  
 tur; fuit tamen ea constans majorum tra-  
 ditio, augustioris dein fabricæ propylæo hi-  
 sce vocibus insculpta: [ Anno Domini MCC.  
 inchoata est hæc ecclesia gloriolæ Virginis  
 MARIÆ.]

A. 1201. Magnis interim desideriis ex-  
 pectaverat Innocentius, Pontifex Maximus,  
 ut Germaniæ Principes vel repetitis electo-  
 ralibus comitiis æmulatorum alterutri purpu-  
 ram addicerent, vel litis arbitrium sedi Apo-  
 stolicæ deferrent. Cùm neutrum obtinuis-  
 set, libratis in senatu Vaticano partium mo-  
 mentis, inter ipsa novi sæculi exordia, ine-  
 unte videlicet anno salutis MCCI. Philip-  
 pum, etsi pluribus suffragiis innixum, vitio  
 creatum; Ottonem econtra ritè nomina-  
 tum, pronunciavit. Opponebatur præci-  
 piæ Philippo: quòd juramentum de Fride-  
 rico nepote, ad imperium evehendo, præ-  
 stitum ambitione temeraria infregerit; quòd  
 ditiones Pontificias usurpato in easdem Du-  
 cali titulo per sacrilegam tyrannidem invase-  
 rit, quòd diris, & execrationibus à Cœlesti-  
 no III. devinctus irrita principum vota red-  
 dide-

diderit. Ottonem ècontra Guelphis majoribus, id est, Romanæ Ecclesiæ propugnatoribus genitum, neque ullis religionibus obnoxium, non solùm legitimè electum, sed etiam Aquisgrani per Colonensem Antistitem, ritè auctoratum. Hanc igitur sententiam Pontifex per expeditas Laterani Kalendas Martij tabulas, quas Odoricus Raynaldus exhibet, [ universis tam Ecclesiasticis, quām sacerdotalibus Principibus Alemanniæ ] denuntiavit, simūlque à promissa Philippo fide immunes dixit. Addita fuere ad legatos Apostolicos, in Germania commorantes, mandata: ut ab Ottone usitatum erga sedem Pontificiam fidelitatis, & obedientiæ sacramentum exciperent, Principesque ad ejusdem, velut electi Romanorum Imperatoris obsequia traducerent.

II. Priusquām id muneris Legati aggredierentur, ferali concussa tremore tellus, per omnem Germaniam, adstítasque eidem provincias inhorruit. Meminere ejusdem plerique scriptores, quos inter Henricus Stere ita loquitur: [ Terræ motus multis terrarum locis factus est magnus, ut multas urbes & ecclesias destrueret, & mortes hominum fierent. Cœpit autem idem terræ motus IV. Nonas Maij. ] Adstipulatur Admontensis annalista, simūlque illata Styriæ damna recenset. [ Terræ motus magnus factus est

per dimidiam fere horam IV. Nonas Maij,  
ac deinceps frequenter, adeò fortis, ut non-  
nullas ecclesias subverteret, ac domus mu-  
ratas, inter quæ in castro Wizenstain (nunc  
Weitenstein) turris corruens, hospitem  
domus, Hartrodum Ministerialem Ducis  
Styrensis cum septem viris interemit; sed &  
castrum Archi-Episcopi Chaets (sive Kätsch)  
dirutum, ferme omnes habitatores suos  
morti dedit.] Hæc porro per varias Europæ  
regiones grassata calamitas nonnullis divi-  
næ justitiæ præconibus majori tamen zelo,  
quæm prudentia præditis opportuno inter-  
reliqua argumento erat, ut teste Rogerio  
Hovedeno suos isthic claudente annales,  
annorum millenarium, ab entusiaste Apo-  
stolo in sua apocalypsi designatum, præce-  
dente cum seculo elapsum fuisse contende-  
rent; ideoque supremum orbi scelerato ex-  
cidium imminere declamarent.

III. Melius enim verò ex eo terræ motu  
nonnulli divinabant: exoptatam Imperio  
Germanico quietem nondum reddituram.  
Excepto siquidem Ottonis juramento, ut  
Godefridus ait, [venit Coloniam circa fe-  
stum Apostolorum Petri, & Pauli, Guido  
Cardinalis, Prænestinus Episcopus à sede  
missus Apostolica, Philippum, & quoslibet  
eius fautores excommunicatos pronuntians.]  
At importunâ hâc severitate, quidquid in-  
nocep-

nocentius ad asserendum Ottoni Imperium sapienter stabiliverat, male providus Legatus iterum disjicit. Exasperati usque adeo fuere magnatum Philippo adhaerentium animi, quos inter Dux noster Leopoldus erat, ut acribus refertam querimoniis epistolam ab Odorico Raynaldo editam per oratores Romam expedirent. Inscriptio sic habebat: [Sanctissimo Patri, & Domino Innocentio sacro-sanctæ Romanæ sedis Pontifici Universali; DEI gratiâ Magdeburgensis, & Bre-mensis Archi-Episcopi; Wormatiensis, Pa-taviensis, Ratisbonensis, Constantiensis, Augustensis, Eichstadiensis, Havelbergensis, Brandenburgensis, Misnensis, Nuembergensis Episcopi; Babenbergensis electus; Fulden-sis, Herleveldensis, Campidunensis, Abba-tes; Rex Bohemiæ; Dux Zaringiæ, & Re-dtor Burgundiæ, Dux Saxoniæ, Dux Au-striæ, & Styriæ, Dux Meraniæ, Thuringiæ Lantgravius, Moraviæ, Orientalis, Misnen-sis, Brandenburgensis Marchiones; de Orla-munda, & Sunsenberch (fors Schaumberg) de Brenne, de Witem Comites, salutem, & debitam in Christo reverentiam.] Epigraphen hanc ideo allegare placuit, ut unico velut intuitu Philippini Principes conspicerentur; quanquam isthic Ludovicus Dux Boicus, & nonnulli antistites fuerint prætermisss.

IV. Etsi verò Pontifex inspectis literis, simùlque auditis fœderatorum legatis, quo munere Eberhardus Salisburgenfis antistes, Abbas de Salem, & Marchio Orientalis fungebantur, plusquam satis animadverteret, se antea Prænestini literis perperam edictum, quòd Philippo propemodùm deserto plerique Principum Ottoni faverent; in pristina tamen sententia persistit, ac desuper apologiam, quæ juri Pontificio inserta legitur, ad Bertholdum Zaringiæ Ducem misit. Spe siquidem, licet inani, complures Innocentio suaserant, dummodo cœptis insisteret, Philippinos paulatim ad castra Ottomana transituros. At Eberhardus inter hæc eadem legationis suæ munia Archimystæ insignia demum obtinuit, quæ anteà missò Romam oratore frustra postulaverat. Ad hunc siquidem annum reipsâ pertinet, quod continentι alioquin narratione Chronicon Salisburgense subdit: [Ipse verò Episcopus per se vadens Romanū, multo labore, & sudore, tandem ab Innocentio Papa pallio honoratur.]

A. 1202. Exinde suspensis tantisper armis Anno MCCII. æmuli quievēre, ampliandæ tamen, aut firmandæ per nova fœdera potentiae utrīnque intenti. Ottōnem haud leviter sollicitum tenebat exorta inter Brabantum Ducem, Geldriæque comitem dis-

cordia, in bellum nemini magis, quam ipsi perniciosum, eruptura. Accedebat gravior metus, ne Præsul Agrippinensis imperia dare magis, quam accipere assuetus, ideoque inhibitis vectigalibus irritatus, mutato Cæsare Philippum sequeretur. Hinc narrante Godfrido Annalista: [Otto Rex, & Adolphus Coloniensis Archi-Episcopus cum aliis quibusdam principibus colloquium habuerunt apud Trajectum, quæ supra Mosam sita est, de republica, & de diversis negotiis, quæ ipsos tunc urgebant. Una tamen de præcipuis causis hujus colloquij fuit, de inimiciis, quæ inter Ducem Brabantiae, & comitem de Gelre pullulabant. - Tandem pace inter utrosque reformata, & rege cum Episcopo Colonensi regresso, oritur inter eos gravissima contentio coram Cardinali, & vix per triduum sedatur. Causa autem hujus discordiae fuit, de teloneis, & moneta, & injustis vectigalium exactionibus, & de violata pace negotiantibus. Auditis autem allegationibus utrorumque, Regis scilicet, & Episcopi, mediante Legato, sub cuius iudicio haec agebantur, ipsorum utriusque discepta est dissensio tali conditione: ut omnis exactione violenta cassaretur, & pax firmissima negotiantibus stabiliretur. ] Applausit sibi Otto, datisque ad Pontificem literis, attamen intempestivè nimium, jactavit: Adolphum

phum iis nunc legibus obstrictum teneri, ut obsequia mutare, etsi vellet, non posset.

II. Inter hæc Bernardo Voraviensi Præposito, Kalendis Februarij ad vitam meliorē evocato Luitoldus ordine antistes III. est subrogatus. At Leopoldus Dux noster cum fœderatis principibus in aula Philippi commoratus, utriusque provinciæ insignia solemni auctoramento recepit. Exinde in Styriam profectus, cùm Admontense cœnobium singulari benevolentia in tutelam admisisset, eundem pariter favorem occurrenti obviam Præposito Seccoviensi contulit, prolixam desuper membranam hac periodo exorsus. [Quia divinæ dispensationis providentiâ gubernationem Styriensis Principatū assecuti sumus pariter, & adepti, dignum DEO ministerium nos exhibere credimus, si post aucti nostri culminis magnificentiam religiosarum Ecclesiarum domus bonorum temporalium devotis subsidiis, & protectionis nostræ clypeo studuerimus ampliare.] Expositâ dein fundationis origine ac progressu, juribúsque, ac immunitatibus singulis accurate recensitis, iisdemque usitatâ formulâ roboratis, præsentium Styriæ magnatum nomina adscribi jussit, [qui sunt Ulricus de Stubenberch, Herrandus de Wildonia, Dietricus de Liechtenstein, Hainricus de Caphenberch, Bertholdus de Emerberch,

Gundacherus de Styra, Ortolfus, & Hertnidus de Volcherstorff, Gundacherus de Starchenberch, Albero de Poisheim, Albero de Grimenstein, Otacherus de Slierbach, Ulricus, & Leutoldus de Peccah, Hainricus de Adelwanch, Otto, & Otacherus de Wolckenstein, Waltherus de Fürstenfeld, Dietricus de Hochenstein, & plutes alij fide digni. Datum apud Admundiam Anno Dom. Milles. Ducentes. secundo, IV. Nonas Junij, Indictione V. sub Burchardo Proto-notario.]

III. Ast, qui finiente paulatim vere Serenissimâ Leopoldi præsentia fruebatur, proxima dein æstate, ut coævus scriptor domesticus annotavit, [ Joannes Abbas Admontensis obiit, ] cùm suscepti regiminis triennium nondum explevisset. Memoria illius in veteri necrologio [ III. Nonas Septembr. ] habetur. Funebris optimo Antistiti peractis [ Rudigerus ibidem nutritus, & profesus, Prioris, ac sacristæ officium tenens canonice eligitur, ] sed breve pariter regimen habiturus. Interea Princeps ad aulam Philippinam rediit, ut foederatorum comitiis, sacrisque solemnibus in gentilitia quondam arce, nunc verò episcopali civitate Bamberensi interesset. In hac siquidem virginæ Chunegundis Augustæ lipsana, cui ultimo sæculi præcedentis anno cœlitum honores

Innocentius decreverat , VII. Idus Septembris humo levata , arisque imposita Augustense Chronicon asseverat . [ Kunegundis Virgo , & Regina , Uxor Imperatoris Hainrici Pij , Babenberch sepulta , multis fulgens miraculis ab Innocentio Papa canonizata , multis convenientibus Episcopis , & Archi-Episcopis , inter quos etiam affuit Dominus Salzburgensis Eberhardus , ab eis est translata . ] Placuisse Numini pietatem Principum , impensosque Divae honores prodigium ostendit , quod scriptor coævus à Jacobo Gretsero , aliisque hagiographis vulgariter refert . [ Illud quoque clarissimum clarissimis regni primoribus coram adstantibus celebre super muto factum , sub oculis omnium memoriæ hominum tradere non indignum duximus . - Philippus Rex propter sui confirmationem , interim vero , quod magis sibi favorem præstare credebat , propter translationem beatæ Virginis comitia indixerat . Mutus quidam servulus in comitatu probabilium virorum de Pogen convenerat , quorum vasa , quia & ipsi poenitentes erant , portabat . Regina ad ecclesiam processerat , cum de more à clero solemniter suscipitur , confusus interim populorum clamor exoritur , non frustra morituro ( legendum : muto ) denique homini , sed laudes cum Christo suo jam viventi con-

cla-

clamantium. Testor Christum , & ejus Apostolos : iste, qui prius nullam, utpote mutus, linguam noverat , singulis ad interrogata propriâ linguâ disertus respondebat. ] Nemo sanè oratorum pari facundiâ Divæ merita , tunc commendaverit, ut proinde Dux noster eo panegyrico motu\$ in proximo Græcensibus pomœriis colliculo Augustæ hono-ribus sacrarium erexerit, quod posteà religio- so equitum Teutonicorum ordini Frideri- cus filius donavit.

IV. Et verò Leopoldus hoc eodem anno ex Augusta Cæsarum Orientalium stirpe sibi conjugem adscivit , ut Wichardus Polhe- mius, quem sæculo in sequente antistitem Salisburgensem videbimus, in evulgato non dum chronicō testatur ; etsi Garstense pariter ineditum & Augustense impressum , con-nubium istud proximum in annum differant. Non tamen hic calculus re ipsa discrepat, si Hymenæi solemnia inter ipsas Redemptoris nascentis ferias fuere celebrata. Hujus tem- poris conjecturam quoque synchronum no- stri Collegij Neostadiensis volumen suggerit, ubi hæc eadem utrique anno adscripta legun- tur. Infulatus porro chronologus à Petro Lambecio Augustissimæ Bibliothecæ quon- dam Præfecto in Cellensis itineris Diario al- legatus , ad hanc epocham ita loquitur : [ Leupoldus Dux Austriæ, & Styriæ Theo- doram

doram natam Regis Græcorum duxit uxorem , & nuptias Wiennæ multis Principibus ibi convenientibus pomposissimè celebravit.] Hanc verò licet scriptores alij solummodo neptem , vel exneptem Cæsaris Byzantini dicant , præivit tamen Wichardo Joannes Enenkelius , dum eandem in rhythmico Principum Austriacorum catalogo Manuelis Comneni Imperatoris filiam disertè appellavit. At Albericus in chronico Theodorum Lascarem , qui post occupatam à Latinis Constantinopolim Nicææ Bythiniae Græcorum Imperator dictus est , Theodoræ parentē tribuit , dum ad annum præsentis secundi vigesimum primum ita loquitur : [ Lascarus plures habuit filias de prima uxore , Andronici ( melius Alexij Augusti ) filia , quarum unam habuit Vastachius , aliam duxit Dux Austriæ , tertiam Bela Regis Andreæ filius primogenitus. ] Quidquid sit , Theodora , multarum deinde prolium fæcunda mater , nihilominus dubium reliquit : an plūs gaudij , quām mœroris sibimetipsi , subditisque provinciis pepererit

A. 1203. Interea Philippus multis magnis que promissis Innocentium Pontificem frustra devincire conatus , rursus Anno MCCHI . arma resumpsit , sed adeò malè auspicata , ut amissio exercitu ipsam quoque coronam perdidisset , si hostis non tantum vincere ,  
sed

sed etiam victoriâ uti didicisset. Rejecerat thalami consortem Adulam Premislaus Ottocarus Bohemiæ Rex, eidemque nuptiis adulterinis Constantiam Belæ III Regis Hungariæ filiam subrogaverat. Hinc teste Arnoldo Lubecensi, [frater repudiatæ Theodoricus Marchio Misnensis unacum Duce Bernardo (Saxoniæ) qui Philippi Regis familiares fuerunt, hoc apud ipsum obtinuerunt, ut regnum Bohemiæ Otackero adultero auferret. Unde commotus Bohemus à Philippo alienatus, & Landgratio Thuringiæ Hermanno confederatus est. Hermannus ergo, qui filius sororis Friderici Imperatoris fuerat, immemor consanguinitatis & jurisjurandi ad Ottonem Regem se transtulit. ] Philippus eam Principis cognati perfidiam ulturus, prout Godefridus Colonensis narrat, [exercitu valido congregato intravit Thuringiam. Perpendens autem Palatinum Comitem, & Regem Bohemiæ, cum copioso exercitu illi in auxilium venisse, rura quæque proxima incendio consumpsit, & sic profugus cum suis Erdfort se contulit. Quo Landgravius comperto, cum Bohemo, & Palatino, omnique, quem contraxerant, exercitu, civitatem vallaverunt, sperantes illum capere. Philippus autem nocte mediâ cum paucis exiens, ad Orientales Marchiones se contulit, ut auxiliis contractis, quo-

quo pacto, milites inclusos liberaret. Principes autem ejus discessum audientes, solutâ obsidione persecuti sunt eum unanimi consensu, & invadentes terram Marchionum, omnia rapinis, incendiis, & variis calamitatibus partes illas everterunt. His ita patris Rex Otto superveniens cùm exercitu à cunctis favorabiliter suscipitur, & Bohemus fidelitate promissa ab ipso coronatur, & in festo S. Bartholomæi Apostoli à Guidone Ecclesiæ Romanæ Legato apud Marsburg in Regem solemniter consecratur.]

II. Acciverant hanc cladem Philippo impeditâ Bojorum auxilia, utpote intestino, eoque feroci bello ad invicem collisa. Gravis etenim, ut Chronicon Augustense refert, discordia facta est inter Ducem Ludovicum, & Episcopum Ratisbonensem Conradum, cui confederatus Dominus Eberhardus Archi-Episcopus Salzburgensis in manu valida venit ei in auxilium. Diruta sunt castra aliquanta ex utraque parte, factaque sunt incendia plurima per universam Bavariam, villarum deprædationes, & ecclesiarum, ut nec ab altaribus abstinerent, & reliquias Sanctorum inde auferrent, aliisque quam plurima nefanda, & inaudita perpetrarent. ] Impij hujus belli faciem, etsi veteres scriptores fileant, attamen violatis per avaros prædones verius, quam tutores, ecclesiarum iuribus

bus recentiores attribuunt. Ad hæc siquidem propugnanda Præsules, cùm frustra calamis in aula Principis certâssent, arma corripuere, infelici tamen exitu; ut quibus foci hostiles diruendi erant, cœlitum aræ everterentur. Auxit insuper hanc stragem ferale incendium, vi cuius reverso ab expeditione bellica Eberhardo, prout Chronicon Salisburgense addit, [ magna ex parte civitas VIII. Idus Novembres concremata est. ] Sed hisce flammis extincta fuere odia, ut pax in Boicam remearet.

III. Laureatas interim ad Innocentium litteras Otto miserat, eo plausu exceptas, ut iis per Insubriam dispersis Pontifex partam eâ victoriâ Italæ securitatem gratularetur. Deinde vero Leopoldum, cæterosque Principes, acsi Philippus debellatus jam foret, datis Anagniæ pridie Idus Decembres epistolis ad deferenda victori obsequia hortatus est. Otto ipsem, qui ferro bellum prosequi, vicinasque provincias invadere poterat, tempus inutili consultatione terere, & papyraceis solùm machinis Philippinos Principes impugnare aggressus est. Lubet alteram illius audire epistolam, per Raynaldum adductam, quam tum Pontifici, tum sibi metipsi velut imperij securus blandiebatur. [ Innotescere Vobis cupimus, quod status noster de die in diem prosperatur, & hoc non excellentiæ nostræ, sed

sed DEO , & Vobis , & Ecclesiæ Romanæ ad-  
scribimus . Regem Bohemiæ , Landgrafum  
Thuringiæ , Marchionem Moraviæ , per po-  
tentiam non habuimus , sed per magnam ve-  
stram solitudinem , & frequentem - Cu-  
riam solemnem habuimus , proximâ feriâ  
quintâ ante festum S. Martini , in qua multi  
Principes Imperij fuerunt . - In ea vero talia  
sunt ordinata , & statuta , quæ scriptis com-  
mittere non audemus , sed latori præsentium  
memoriter commendavimus , - ut vobis  
omnia per ordinem referat . Firmiter enim  
credimus , quod , quod de nobis incepistis ,  
infra paucos dies , hoc est , in Purificatione  
Beatæ MARIAE bono fine consummabitur .  
Principes enim superiores videlicet Archi-  
Episcopus Salzburgensis cum suffraganeis suis  
Dux Austriæ cum nobilibus terræ suæ , & Dux  
Bavariæ terras eorum à nobis recipient , &  
fidelitatem præstabunt . - Rogamus itaque  
paternitatem vestram , ut solito more beni-  
gnè legationem nostram audiatis , & consi-  
lium vestrum , quod magnum est , apponatis . ]

*A. 1204.* Fallacem fuisse spem Ottonis ,  
quâ Leopoldi Ducis , aliorūque Principum  
obsequia expectaverat , proximo statim anno  
MCCIV . patuit . Eo siquidem inchoante ,  
ut Chronicum Augustense memorat , [ Lu-  
dovicus Dux Bavariæ , & Eberhardus Salz-  
burgensis Archi-Episcopus , & Cunradus Ra-  
tis .

tisponensis Episcopus in concordiam redierunt. ] Horum ultimus eâ sanctâ [ obiit IX. Kalend. Maij , cui Conradus Frisingensis Præpositus succedit. ] Supremam quoque diem eodem ferme tempore clauserat Pilegrinus II. Aquilejæ Patriarcha , fuitque concordibus eligentium votis postulatus , & obtentus [ Wolfkerus Pataviensis Episcopus , pro quo Poppo Aquilejensis Præpositus constituitur. ] Socialia igitur arma Philippo juncta , quibus illico in Saxoniam irrupit , ut fidam sibi Goslariam ab hostili incursione tueretur. Neque segnis Otto cum Henrico fratre , qui Brunsvicum ad volaverat , explicatis vexillis obviam processit. Stabant utrinque paratae ad pugnam acies , cùm Henricus , qui teste Arnoldo Lubécensi [ continuas à Philippo minas audiebat , quod dignitatem Palatij perderet , nisi à fratre recederet , - in ipso congressionis articulo] Brunsvicensem sibi urbem in militiæ tot annis gestæ præmium cedi postulavit. [ His auditis frater Rex non sine indignatione respondit : nolo , ut quadam formidine territus aliqua modò facere videar , quæ forte impostorum , quasi pœnitens , mutare compellar. ] Exasperatus eâ repulsa [ Palatinus relæcto fratre - ad Philippum transiit. ] Otto inexpectata defectione perculsus fugienti similis Brunsvicum se recepit , negatam fratri

urbem magno imperij amittendi periculo revertentur.

II. Inter ista belli felicioris præludia Isaacium sacerorum, affinémque Alexium Orientis Cæsares Philippus amisit. Expugnaverat anno præcedente Byzantium destinata vindicandæ Hierosolymæ classis, profugóque tyranno Alexio, Isaacum Angelum è carcere liberatum, filiúmque Alexium in solium reduxerat. Sed perfidus Imperator architecto sceleris Alexio Duca, cognomento Murzuphlo, regio pariter sanguine prognato; nè victoribus opes, quas antea promiserat, reddere cogeretur, auxiliatricem classim incendio delere, ferróque principes armorum socios opprimere decrevit. Inter eos irriti flagitijs conatus, cùm repentinâ vi morbi Isaacius periisset, Murzuphus Alexium, velut tute læ causâ in palatijs latebras abreptum, suis ipse manibus præfocavit, craniūmque, & costas clavâ ferreâ perfregit. Hinc simulato præcipitis ex ædium culmine adolescentis casu in publicum erupit, falsisque lachrymis sandapilam prosecutus imperium invasit.

III. Immane hoc parricidium, expugnandæ rursus urbi, & evertendo Græcorum imperio occasionem præbuit. Sic etenim ipsem Balduinus Augustus in suis ad maximum Pontificem literis [Pridie Idus Aprilis, hoc est, feria secundâ post Passionem Domini, flante Boreâ,

Boreâ, applicamur ad muros, scalis navi-  
um, scalis turrium applicatis, - & propu-  
gnacula relinquenteribus Græcis nostri auda-  
cter militibus portas aperiunt. - Civitas po-  
pulosa capitur, recipiuntur in palatiis impe-  
rialibus, qui nostrorum enses effugiunt,  
multâque cæde factâ Græcorum, nostri se  
recolligunt, & ad vesperascente jam die arma  
fessi deponunt. - Ordinatis igitur diligen-  
ter, quæ rerum poscebat eventus, ad electio-  
nem Imperatoris unanimiter, & devotè pro-  
cedimus, & omni ambitione seclusâ consti-  
tuimus electores, qui oratione præmissâ,  
ut decuit, dominicâ *Misericordia Domini* (vi.  
delicet VII. Idus Maij) personam nostram,  
quod à nostris meritis procul aberat, unani-  
miter ac solemniter elegerunt, - sequentí-  
que dominicâ, quâ *Jubilate cantatur*, - co-  
ronatum ad Imperij fastigia sublimârunt. ]  
Huic itaque Balduino I. Flandrorum Comiti  
Latinum Orientis imperium, attamen post  
annos sex & quinquaginta rursus collapsu-  
rum, sua exordia debet, cùm interim Nicææ  
in Bythinia Theodorus Lascaris, qui An-  
nam profugi Alexij filiam conjugem habe-  
bat, Græcorum Imperator fuisset appellatus.

IV. At Philippus, etsi juris aliquid ob-  
Irenem Isaacij Augusti filiam, ut supra deli-  
bavimus, in Byzantinam purpuram accepisse  
videretur; hâc tamen facile neglectâ ad vin-

dicandam potius anni superioris cladem intentus, quemadmodum Godefridus Coloniensis memorat, [circa Julium mensem contracto maximo exercitu Thuringiam intrat, civitatem Wisensee nomine, obsidione vallat, Regem etiam Bohemiæ cum maxima multitudine in auxilium ei venientem fugat, omnia per circuitum oppida igne exurit, & vastat.] Hermannus ea procellâ involutus, quod sibi litus aliud præter victoris clementiam superesse non cerneret, testante Lubecensi [ad pedes Philippi supplex venit, qui cum diutius in terra jaceret, & eum Rex de perfidia argueret, tandem - à terra levavit, & in osculo recepit.] Haud impari felicitate, quâ Thuringum, atque Bohemum ferro domuit, mox Adolphum Colonensem, & Brabantiae Ducem Philippus auro expugnavit. Sic etenim laudatus antea Godefridus. [Post hæc Colonensem Archi-Episcopum per Trevirensem, Spitensem, & Constantiensem episcopos apud Andernacum sibi conciliat, & ut Ducem Brabantiae, & reliquos Lotharingiæ nobiles fideles sibi efficiat, novem millia marcarum ei donat. - Coloniensis verò Archi-Episcopus sacramentum, quod dudum Ottoni fecerat, parvus pendens, - post festum sancti Martini ad eundem Philipum cum Duce Brabantiae Confluentiam venit, & ei juramentum fidelitatis cum

cum Duce ibidem fecit. Ibidem etiam Philippus Rex celebrem curiam omnibus, qui aderant, principibus in Epiphania Domini, Aquisgrani indicit, & Coloniensis eum ibidem in Regem consecrari, & ungi promittit.]

A. 1205. Postquam igitur annus MCCV. illuxit, Philippus ad imminentia Epiphaniæ solemnia, prout rursus Godefridus memorat, [ cum pluribus regni principibus Aquisgrani venit, ubi cum maximo apparatu Coloniensi ei occurrit. Ibi Rex consilio cum suis habito, ut Principes suam liberam electionem secundum antiquitatis institutum non perdant, regium nomen, & coronam deposit, & ut concorditer ab omnibus eligatur, ] iis precibus postulat, quas respui non posse certus erat. Repetitis itaque auspiciis Rex Germaniæ salutatur, & [ à Coloniensi Archi-Episcopo cum Maria (five Irene) uxore sua ungitur, & consecratur ; Sifrido Moguntino, & Cameracensi episcopo iisdem diebus cum literis Papæ Coloniæ existentibus, & pro hac injusta consecratione excommunicationem ei intentantibus ; Ottone etiam Rege languore ibidem detento, & omnium auxilio destituto, ] Adolpho contra spernente minas, quod eâ perfidiâ sublata sibi ad Rhenum vestigalia ulcisceretur. Nec diutius cunctari Bohemo tutum videbatur,

quò minùs suadente Duce Boico meliorem  
Philippi fortunam sequeretur. Itaque teste  
Augustensi Chronico [ reliquit Ottонem, &  
adhæsit Philippo, qui consensu Principum  
imposuit ei diadema, faciens eum, & suos  
successores Reges, tradiditque filiam suam  
Wenetzlao ( seu Wenceslao ) filio ] spon-  
sali anulo devinctam, ut firmiori posthac  
fœdere Ottocarūs stringeretur. Tantum  
abest, ut nomen istud ab immobili in Otto-  
nem fide Premislao dicatur accrevisse.

II. Dum hæc in Germania inferiore con-  
tingerent, parùm abfuit, quin novo rursum  
bello Dux noster Leopoldus involveretur.  
Decesserat anni superioris æstate, ut ex pon-  
tificiis epistolis, ab Odorico Raynaldo ex-  
hibitis arguitur, Emericus Rex Ungariæ,  
ultimisque tabulis Andream fratrem, tunc  
carcere detentum, Ladislai filij, paulò ante  
coronati, tutorē jussicerat. Verùm Andreas,  
seu tolerati carceris contumelia irritatus, seu  
pristino coronæ ambitu incensus, ut nepo-  
tem solio excuteret, solicitare fidem proce-  
rum, plurésque in suas partes attrahere,  
quòd regnum crescente Venetorum, & Bul-  
garorum potentia ad reprimendos hostiles  
impetus viro indigeret. Haud ignara peri-  
culorum sibi, filioque imminentium Con-  
stantia, ut Chronologus Admontensis nar-  
rat, [ secum habens quosdam optimates, &  
epi-

episcopos Hungarici regni, qui propter ius jurandum, quod infantulo regi juraverant, adhuc in parte ejus stabant, per vim occupatis portis, & custodiis terminorum regni versus Wiennam, dicens secum filium suum cum thesauris & divitiis magnis, & comitatu copiose egressa est, & à Duce Luipoldo, de quo propter affinitatem plurimum presumebat, magnifice suscepta.] Compertâ Reginæ fugâ mox Andreas ad arma conclamavit, ductoque ad regni fines exercitu condidit; Leopoldo pariter cum infestis legionibus ad repellendam vim obviâm prope rante. Verum inter eos prælij imminentis apparatus [Ladislaus infans moritur, corpùsque illius à Jurino (seu potiùs Jaurinensi) episcopo Albam translatum, & in sepulchro regum, regio more tumulatum est: sicque sedata fuit grandis controversia, quæ inter Ducem, & Andream Regem orta fuerat pro repetenda tam Reginam, quam thesauris & corona, quam simul asportaverat, in tantum, ut contractis utrinque copiis dimicaturi residerent.] Reductis igitur vexillis [Luipoldus Reginam liberalissimè habitam, cum obsequio regali fratri suo (Petro) Aragoniæ Regi decenter transmisit, [Friderico dein Augusto jungendam. Ipse met vero exercitum, quem Ungaro irruptionem militanti objecerat, in Germaniam inferiorem

deduxit, ut castris Philippinis junctus Coloniense bellum aggrederetur.

III. Quamvis etenim Adolphus Agrippinensium antistes ad Philippum descivisset, ipsa tamen metropolis, cum plerique oppidis Ottoni constans adhærebat. Urbem igitur, et si magnis operibus, praesidiisque munitam Philippus repentina incursione aggressurus, quemadmodum Godefridus refert [post Nativitatem Beatæ MARIAE, - maximo exercitu congregato Motellam transiuit, & in festo Beati Michaëlis Archangeli ante mœnia Coloniæ veniens eam impugnare cœpit. Sequenti verò die in superiori parte civitatis tentoria sua figit, - eamque impugnat, & impetit. His autem, qui intus erant, fortiter, repugnantibus, - cum per quinque dies - nihil proficeret, - relictâ obsidione cum universo exercitu ad expugnandam Nussiam procedit, quam cum acriter impugnaret, illi de viribus suis diffidentes in deditio[n]em venerunt.] Atque in hac expeditione, ut Chronologus Admontensis ait: [Liupoldus magnanimus Austriaz, Styriæque Dux, copiosam, & electam ducentis militiam, & non minus munifice, quam magnifice agens, principibus aliis præstantior, fortibusque gestis famosior, atque clarior extitit.]

IV. Inter ista, prout Chronicum Augu-  
stense notat : [ Poppo Pataviensis Episcopus  
obit , ] qui mitram hanc anno p̄æcedente  
acceperat. Suffectus eidem fuit [ Manigol-  
dus Abbas de Tegeinsee , ] cùm antea quo-  
que Cremisanense in Austria cœnobium gu-  
bernasset. Excelsere pariter è vivis gemini  
in Styria antistites, quorum alter Cistercio  
Runensi , alter asceterio Admontensi p̄æ-  
fuit. Posterioris funus tantò graviore luctu  
deploratum , quantò acerbiori casu placi-  
dissimi vir ingenij propemodùm ante sepul-  
tus, quām extinctus est. Inopinam Præsu-  
lis optimi necem , & successoris electionem  
Annalista domesticus hisce verbis expressit :  
[ Rudigerus Abbas Admontensis , dum forte  
in lapidicina laborantibus interesset , petrâ  
quādam in p̄æceps decurrente percussus , &  
mortuus est ; pro quo Dominus Wolfran-  
mus Turrigena ( sive Thuringus ) qui de mo-  
nasterio Reinhersbrunensi ad nos veniens ,  
per decem fere annos nobiscum moratus  
fuerat , eligitur. ] Usque adeò procul ab  
illo virtutum domicilio invidia , & ambitio  
aberant , quæ alioquin suis obtectæ larvis in  
ipso sanctuario habitare gaudent ; ut inqui-  
lina pietas adventanti peregrè virtuti pri-  
mum dignitate locum cederet. At Runen-  
ses Conradum de Grodno Abbatem , ordine  
Quartum , tumulo intulere , posteaquam de-

cennio, ut calamus Cisterciensis scribit [re-  
ligionis cultor fervidus, subjectis sibi filiis  
normam recte vivendi exhibuit verbo pariter,  
& exemplo.] Piacularibus solutis illico  
Theodoricus praesesse jussus, hoc eodem an-  
no regimen capessivit, quo Princeps è castris  
Philippinis redux è sua ferri fodina Kunensi-  
bus ascetis tantum indulxit, [quantum eis  
utilitatis è quatuor follibus provenire po-  
test.] Fuere porro hujus munificentiae te-  
stes [Ullricus de Stubenberch, Otto de Ha-  
selowe, Otto, & Otacher de Grez, Otto  
de Cremse, Otto de Lapide, Rudigerus de  
Planckenwart.]

*A. 1206.* Proximo dein Anno MCCVI.  
aliis rursum tabulis [Liupoldus Dux Styriæ,  
& Austricæ] ratam habuit liberalitatem, quā  
[nobilis matrona Elizabeth de Gutenberg,  
alpes, quæ vocantur Necistal, - pium votum  
viri sui Luitoldi secuta fratribus de Runa re-  
cognovit, eisque testamento confirmavit.]  
Aderant tunc Principi [Wernhardus de  
Schawenberch, Godefridus, & Otto de  
Truchsen, Dietmarus de Rottenstein, Otto  
de Grez, Wigandus de Chlame, Reimper-  
tus de Mourecke, Albero Pincerna (de Gri-  
menstein) Otacher & filij ejus Otacher, &  
Ullricus de Grez, Herrandus de Wildonia,  
Wichardus de Carlsberch, Erchengerus de  
Landeser, Otto de Haselowe, Wichardus  
de

de Waltstein, Rudigerus de Planckenwart,] quæ nomina hac ætate solum in quibusdam Styriæ castellis supersunt. Quâ verò benevolentiâ Princeps religiosam Cisterciensium familiam prosecutus sit, perenni monumeno & pientissimâ munificentia testatū reliquit, dum hoc anno, ut Chronicum Australe memorat, [ Fundata est domus in Campo Lilio, ] quam Cœlitum Reginæ in sacra-rium, ascetis in contubernium, sibi verò in mausoleum Leopoldus condidit.

II. Dum erigendæ huic moli Princeps intentus ageret, Otto militari Joannis avunculi Britanniæ Regis auxilio fretus, unâ cum Brunone Coloniensi Antistite rursus bellum aleam, sed infelici exitu tentare ausus est. Expeditionis hujus seriem Godefridus sic recenset: [ Philippus Rex cum exercitu iterum ad partes inferiores descendens, occurrente sibi Adolpho episcopo ( à Pontifice jam exauctorato ) cum comitibus & cæteris nobilibus terræ totum episcopatum secundum libitum omnia sibi subiiciendo percurrit. Rex autem Otto & Bruno, qui ipso mense ( ex Bonnensi Præposito ) in Archi-Episcopum ordinatus fuerat à Sifrido Moguntino præsentibus duobus episcopis de Britannia à Rege Angliæ missis, cum quadringentis milibus, & duobus millibus peditum de Colonia exeuntes cum eo configere statuerunt ]

Siue

Simulato tanti per metu Philippus cessit, ut ambo feroci impetu, comitisque subornati dolo ad paratas sibi insidias præcipitarent. Igitur [ proditione Henrici de Limburg ad castrum, quod dicitur Bassinberch, eum persecuti, & in palustria loca deducti, atque ab hostibus circumventi, terga dantes fugere cœperunt, quos mox adversarij inseguentes, & omnia, quæ secum detulerant, depredantes, plures etiam ibi milites ceperunt. Rex verò cum Episcopo castrum ingressus, sed statim ab inimicis undique vallatus, occultè inde egrediens, cum tribus sociis evalsit, ] ut proinde mutato fortunæ ludo, quod antea Philippo Erfurti acciderat, in arce Bassenbergica Ottoni eveniret. Haud pari sorte gavisus Bruno, [ ibidem capitur, & Philippo Regi offertur, quem manicis ferreis constrictum secum duci jubet ; ] neutiquam iis onerandum vinculis, si dextram potius præfulari pedo, quam militari capulo admovisset.

III. Philippus, etsi victoriâ potitus, nihilominus galeam deponere, pacemque imperio dare cupiebat, haud ambiguus, quin castris amissis æmulus eandem perlubenter sit admissurus. Igitur teste laudato historico, [ ambo reges familiare colloquium juxta Coloniam habuerunt ; sed quid contulerint, vel consiliati fuerint, non omnibus illo in

in tempore innotuit. ] Patuit tamen postea : promissam Ottoni , qui nondum Brabantiam in thalamum receperat , cum Sueviæ ducatu filiam , si purpuram Augustalem posneret , fideique sacramentum Philippo dicceret ; illum econtra postulâsse moram , ut illæsâ interim Brunswicensi dynastia Regem avunculum inviseret , ejusque annutum impetraret. Id ipsum obiter Albertus Staden-sis attigit , dum ita scripsit : [ Philippus & Otto sub quadam conditione reconciliationem mutuam promiserunt. ] Neque multo post , ut Godefridus addit , [ Otto Rex de Colonia exiens Brunswich venit , ibique rebus suis ordinatis per mare Angliam intravit ] Exinde secuta senatus , populique Agrippinatis deditio. Colonenses etenim , prout iterum Godefridus memorat , [ consideran-tes sibi totum Imperium adversari , & ubique suos conatus frustrari , consilio , & auxilio . Ducis Brabantiae & cæterorum nobilium ter- ræ , Philippum Regem Bopardiæ adierunt , & ibidem ei reconciliati gratiam ejus merue- runt , ] Sigefrido Moguntino quantocyùs in Italiam profugo , quod Colonia dedita , simulque Moguntiâ per Leopoldum obtentâ exclusus , ulteriore in Germania non ha- beret stationem.

*A. 1207.* Rebus adeò prosperè fluenti- bus haud tamen ignorabat Philippus frustra quie-

quietum expectari imperium, nī maximi quoque Pontificis gratiam assequeretur. Ad hanc igitur impetrandam oratores sub initium Anni MCCVII. fuēre expediti, quos inter primatum Wolffgerus Patriarcha Aquilejensis obtinebat. Addidit Princeps literas filialis observantiae plenas, quas hoc epilogo conclusit: [Quæcunque præfati nuntii nostri, pro nobis polliciti fuerint, ut Romanæ Ecclesiæ benevolentiam habeamus, & favorem, parati sumus gratanter eodem affectu prosequente completere, & ipsorum ordinationem per omnia ratam habere, & inconcussum.] Auditis oratoribus Pontifex geminos ē senatu Vaticano Patres, vide licet Hugonem Ostiensem, & Vellitrensem Episcopum, ac Leonem titulo sanctæ Crucis Presbyterum, in Germaniam mittendos censuit, qui suprema auctoritate litem componerent, pacemque Imperio Romano redderent. Insistebat eodem tempore in aula Pontifica Dux noster Leopoldus, urgēbatque pia Principis postulata Wolffgerus orator Cæsareus, ut ob nimiam Dicecelis Pataviensis amplitudinem novus Viennæ Austriæ Episcopatus erigeretur. Negotij hujus promovendi cura Eberhardo Salisburgensi, & Manigoldo Pataviensi, datis Late rani XVIII. Kal. Maij literis, quas Stephanus Balluzius edidit, à Pontifice quidem com men-

mendata, non tamen ad exitum perducta est; quod sera magis cathedræ illius primordia Friderico Augusto, Imperatori Pacifico voluntibus ita fatis reservarentur. At priusquam halce literas daret Innocentius, ingentem utrique Provinciæ lætitiam fœcundus Principis thalamus peperit, dum ex Theodora conjuge, ut Chronicon Admontense, Garstense, & Australe Neostadiense memorant, [ Leopoldo Austriae, Styriæque Duci natus est filius ejusdem nominis VIII. Kal. Aprilis. ] Habitæ propterea supplicationes publicæ, adjectaque cunis vota, & auguria, sed fluxa & inania, quod miserando dein casu in floridissima ætate Leopoldus periverit, dum ad magnam reipublicæ spem feliciter adolescere videretur.

II. Interea reversus ex Anglia Otto Brunsvicum magnis opibus ab avunculo rege donatus attigit. Haud multò post advénere sedis Apostolicæ Legati, quibus Spiræ salutatis Philippus, prout Abbas Urspergensis narrat, [ condicit curiā Principū apud Northusen in confinio Thuringiæ, & Saxonie ] celebrandam. Cùm eam in urbem convenissent, pariterque Otto in vicina quadam arce stativa delegisset, [ vadunt, & redeunt Legati, & Patriarcha, cum quibusdam aliis Principibus inter utrosque Reges pacem composi-turi.] Ad hanc obtainendam, teste San-Bla-siano

siano scriptore, [Ottoni à Philippo per Cardinales offertur, ut acceptâ in uxorem filiâ ejus cum Ducatu Alemaniæ, aliorumque prædiorum suorum redditibus, regio nomine deposito, ipsi de cætero, ut Regi pareret. - Ad hæc Otto, quamvis jam desperatus, indignè ferens sibi aliqua pro regno offerri, se regnum nonnisi cum morte depositum protestatus, Philippo, ut sibi cederet, multò majora obtulit; talique ambitione non convenientes, infecto negotio ab utroque discessum est.] Tentare nihilominus iteratò congressum Quedelburgi in Saxonia placuit, sed irrito pariter conatu. Nam pace rejecta mutuas solùm inducias æmuli, ut Albertus Stadensis memorat, [dederunt usque ad festum sancti Joannis Baptistæ,] anni imminentis. Philippo dein, quemadmodùm Godfridus reliqua recentet, [circa festum sancti Andreæ Apostoli apud Augustam civitatem Sueviæ celebrem curiam habente præfati Cardinales affuerunt. - Rex autem consilio, & petitionibus Cardinalium acquiescens Brunonem vinculis absolvit, & ipsis revertentibus ad gratiam summi Pontificis eum Romam transmisit.]

III. Agebantur hæc inter Imperij Romani corrivales, cùm Henricus de Pranck avitam sanguinis nobilitatem insigni pietate ac magnificentiâ, tabulis sequentibus expressâ illustravit.

stravit. [ Noverint tam præsentes , quâm futuri homines: quòd ego Henricus de Pranck, patrimonium meum in Pranck potestativâ manu , & totaliter tradidi in manus Domini Geroldi, Seccowensis Præpositi, ad Seccowensium fratrum subsidium, Anno ab Incarn. Dom. MCCVII. in præsentia totius conventus pro remedio animæ meæ , & parentum meorum, quorum ibi quidam viventes adstabant, quidam ibidem sepultierant , & præcipue pro receptione in claustrum duarum sororum mearum , Leuckardis & Elizabeth , quod ea die factum est. Addidi etiam , ut capella de duobus mansibus in Ricindorff , SS. Apostolorum Petri, & Pauli construeretur in Seccowe , & exinde dotaretur. - De patrimonio meo in Strechviz sic ordinavi : quia soror mea Perchta de Dumerstorff , eâ die , quâ filiæ ipsius Leuchardis & Elizabeth in claustrum Seccowense receptæ sunt, cum omnibus suis heredibus, prædio in Pranck totaliter renuntiavit , partem unam eis ex patrimonio in Strechviz constitui. - Ipsâ etiam die , quâ hæc acta sunt , plenam fraternitatem - suscepi, & constitui: ut ubi cùnque decederem , quidquid in frumento, libris , & aliis, supellectilis haberem , totum ad locum Seccowensem deveniret. ] Inclytum profectò illustrissimæ pietatis monumentum , quo Henricus etiam gentile ca-

strum per insignem gloriæ humanæ contemptum asceterio transcripsit.

IV. Cæterūm hoc eodem anno bina Stiræ cœnobia novos Præsules accepere. Nam faciente fidem scriptore domestico [Wolframus Abbas Admontensis paralyſi dissolutus curæ pastorali cessit, & ei Dominus Gotfridus Abbas Oziacensis subrogatur. ] Re-petivere scilicet hisce votis antistitem, quem antea postulantibus antiquissimi illius in Carinthia monasterij patribus, post Alberonis obitum sacri Montes indulserant. Quamdiu postmodùm superstes Wolframus vi-xerit, vel potiùs lentam moriendi necessitatē protraxerit, in obscuro est. At Seisen-sis eremi cultores Joannis I. exuvias, qui alterum ab anno præcedentis sæculi octuage-simo quinto mandritam egerat, tumulo in-tulerunt. Merita ejusdem, quod literaria documenta desint, solis cœlitibus perspecta sunt. Substitutus eidem novus modera-tor, quas dotes regendis anachoretis attu-lerit, egregio supremus Christi Vicarius te-stimonio patefecit. Nam sive Nicolaus ipse-met, recens electus, Romam adiverit, sive solâ virtutum famâ eò penetraverit, ab Inno-centio III. Pontifice maximo honorarium legatum agere jussus est, ut Leopoldum Principem sacræ militiæ tesserâ auctoraret. Posteaquam etenim nominis hæredem Dux acce-

accepit, ut gratas cœlo vices redderet, majorum exemplo Palæstinam adire, barbarisque arma inferre statuit.

*A. 1208.* Hæc igitur belli sanctioris desideria, cùm Innocentio Pontifici Leopoldus indicasset, sequentes omissis quibusdam parergis Anno MCCVIII. responsorias accepit. [ Religiosâ mente recogitans, quid retribuas Domino pro omnibus, quæ retribuit ipse tibi; Christum humiliter imitari disponis, & pro ejus amore charam conjungem, dulcem prolem, delectabilem patriam, amabilem parentelam, ac mundanos relicturus honores, - desideras, ut accepimus, tollere crucem tuam, & illuc, ubi tua salus in cruce pependit, ardenti succingeris desiderio festinare, ut in crucis victoriosæ vexillo te contra perfidorum conatus opponas, qui te crucis hæreditate in parte jam expulisse vindentur, & in toto nituntur expellere Crucifixum. Verè pium est hoc propositum, & tibi cœlitus inspiratum. Intendis enim suscipiendo crucem reddere vicem Christo, qui tuos languores in ipsa pertulit, dolorésque portavit. - Multum est tamen vicissitudo dissimilis, - inter crucis Christi patibulum, & crucis tuæ signaculum, .. cùm etsi crucis una sit gloria, dispar tamen sit in te, ac Dominus ejus pœna. Tu enim crucem mollem suscipes, & suavem; ille asperam subivit &

duram ; tū eam in vestis deferes superficie, ille in carnis pertulit veritate ; tu ipsam tibi assues lineis filis , aut fericis , ille in ea confixus est ferreis clayis. Licet igitur - ad futuram gloriam - condignæ non sint hujusmodi passiones ; consideratâ tamen sinceritate tuæ devotionis , & urgentissimâ terræ sanctæ necessitate perspectâ , tuum propositum in Domino commendamus , - rogantes , & exhortantes attentiùs , quatenus - ad ejusdem terræ succursum - te celetiter , & prudenter accingas . - Nos enim juxta petitionem tuam vivificæ crucis signum per dilectum filium , Nicolaum Priorem sancti Joannis , Carthusiensis Ordinis , tibi mittimus imponendum ; indulgentiam , quam petiisti , cum conservatoriis quoquè literis nihilo minus destinantes. Datum Laterani VI. Kal. Martij , Anno Pontificatus nostri undecimo. Acceptis hisce responsoriis , ut Chronicon Australe memorat , [ Liupoldus Dux Austriæ & Styriæ zelo fidei accensus cum pluribus nobilibus terræ suæ in Nivenburch ( seu clauistro Neoburgensi ) signo sanctæ crucis insignitur ]

II. At inopinata sacræ expeditioni remaram cruenta Imperij Philippini catastrophe injectit. Expectabantur propediem reddituri ex aula Vaticana , quam rursus sub anni praesentis initium adiverant , Cælaris oratores , sum-

summique Pontificis legati, cum expirantibus  
 paulatim induciis Philippus, ut belli caput  
 tandem opprimeret, formidando Brunsvicen-  
 sem ditionē exercitu non tam invadere, quam  
 obruere decrevit. Castris igitur Bambergae  
 locatis, quemadmodum Godefridus Colo-  
 niensis narrat, [ cum idem Rex in festo san-  
 ti Albani ( qui XI. Kal. Julias Moguntiae  
 colitur ) filiam fratris sui Ottonis de Bur-  
 gundia nuptam tradidisset Duci Meraniæ, &  
 cum maxima gloria ad deducendam puellam  
 processisset; reversus in civitatem, ] ibidem-  
 que suadentibus archiatris, prout reliqua  
 San-Blasianus chronologus prosequitur,  
 [ phlebotomatus aliquamdiu quiescere vo-  
 luit. Itaque Otto Palatinus de Witelsbach  
 remordente memoria injuriæ sibi à Philippo  
 Rege exhibitæ; despontatam enim illi filiam  
 prætentâ consanguinitatis propinquitate ne-  
 gaverat, tempus opportunum ratus, atque  
 instigatione ( Heinrici Istriæ ) Marchionis de  
 Andechs animatus, in vindictam exarsit,  
 sociorumque frequentia stipatus - cubile  
 Regis familiariter pulsavit. - Intromissus  
 igitur continuò exerto gladio Regem invasit,  
 unoque iectu capite lethaliter vulneratum oc-  
 cedit; vulnerato etiam Henrico Dapifero de  
 Walburg, qui eum comprehensum retinere  
 voluit; sicque cubili erumpens ascenso equo  
 cum sociis secessit. ]

III. Atque hoc immani latrocinio Philip-  
pus Augustus, si adjectum à Godefrido epi-  
logum audiamus, [cùm per decem annos cir-  
cumquaque Principes & nobiles subdidisset,  
provincias, & civitates perdomuissest, Pa-  
pam etiam sibi reconciliatum jam haberet, se-  
cundùm dispositionem DEI, in cuius manu  
sunt omnium potestates, & jura regnum,  
undecimo anno vitam cum regno perdidit,  
sepultus ibidem sequentie die, X. Kal. Julij,  
scilicet in festo S. Albini, ] quem Colonien-  
ses luce prædictâ venerantur. Fuit porro  
Philippus, ut illius iconem Abbas Ursper-  
gensis exprimit, ] animo lenis, mente mitis,  
eloquio affabilis, largus satîs, & discretus,  
debilis quidem corpore, sed - facie venustâ,  
& decorâ, capillo flavo, staturâ mediocri. ]  
Quantâ verò pietate sacrâ functionibus in-  
teresset, Arnoldus Lubecensis hisce verbis  
testatur: [ Quia literatus erat, divina valde  
devotus frequentabat; cùmque in ecclesia  
inter alios lectiones vel responsoria recitaret,  
clericos sive scholares pauperes à se non re-  
movebat, sed quasi conscholasticos eos ha-  
bebat, ] illustri profectò coronatæ religionis  
documento. Vidiuam Irenem Mariam,  
è qua sexûs mollioris sobolem quaternam sus-  
cepserat, exiguo solùm tempore superstitem  
reliquit. Audito siquidem, prout idem Hi-  
storicus subdit, [ tam tristinuntio contabuit,  
III &

& quia prægnans erat, gemino dolore ad mortem usque afflita est, ] quam edita nondum prole paucos intra menses obivit.

IV. Dilapo post cruentam Philippi necem fœderatorum exercitu, quod singuli principum copias reduxissent, prout supra laudatus Arnoldus memorat, [ Otto Rex quosdam de suis æmulis bello impetere cogitabat, ] ut quos antea junctos formidaverat, nunc divisos haud ambigua vincendi spe aggrederetur. Sufflaminavit hunc impetum [ Archi-Episcopus Magdeburgensis, cum Bernardo Duce ] Saxoniæ, dum provido magis consilio suasit, ne Philippinos principes facile rursus arma juncturos lace esseret, sed missis legatis ad pacem & fœdera inviteret. Obtemperavit recta monentibus Otto, ideoque indictis III. Idus Novembris per Sigefridum antistitem Moguntinum comitiis, Augustus appellatus est. Sic etenim scriptor Coloniensis: [ In festo sancti Martini apud Frankinvort celeberrimus conventus Principum fuit, - ubi Otto - ab omnibus in Regem elititur, diadema cum lancea imperiali ei assignatur, filia ( Beatrix ) Philippi Regis, cum omnibus, quæ possederat, in dotem ei datur ( seu potius despondetur ) quâ etiam coram Rege, & principibus de morte patris conquestâ, judicio omnium prædictus Palatinus, & ejus fautores proscribuntur, & da-

mantur,] quos inter etiā Henrici marchionis frater, Ecbertus Bambergensis antistes erat. Ad stipulatum Godefrido Arnoldus Lubecensis, simūlque sequentia subdit. [Orta est autem nova lux in orbe Romano, jucunditas pacis, & securitas quietis, & cessavit subfannatio, & insultatio multorum, qui affirmabant Ottонem nunquam regnaturum.] An verò reliqua hujus Cæsaris gesta laudatus Abbas fido pariter calamo conscripserit, an scripta temporum vicissitudine periverint, incertum est.

V. Etsi verò plausu publico hæc inaugratio peracta fuisset, ancipiti tamen fide non nulli Principum Ottонem sequebantur. Nam seu veterum in nova potentia injuriarum memorem haud immerito pertimescerent, seu pristinâ in Domum Suevicam hucusque imperantem necessitudine traherentur, Fidericum Siculum, eumque jam olim designatum Cæsarem, arcanis licet votis Ottoni præferebant. Hos inter quoquè Dux noster Leopoldus, qui tamen desuper Pontificis animum explorandum censuit. Rescripsit Innocentius, tabellásque sequentes à Balluzio vulgatas dedit. - Cùm inter alios principes personam tuam sincerâ in Domino diligamus charitate, - super eo, quod nobis de negotio Imperij, tam per literas, quam per nuntium intimâsti, hoc tibi duximus re-

spon-

spondendum; de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta tuæ prudentiæ consulentes: quatenus, cùm Charissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus magnificè procedere jam inceperit, potenter ei faveas, & patenter; quia procul dubio tibi magis credimus expedire, ut rei finem præveniens, & non expectans, nunc, antequam invalescat intoto, quasi ex discretionis proposito satagas id efficere, quod demum, cùm invaluisset omnino, in necessitatis articulo forsan cogereris implete. Credimus enim, quòd erga te taliter se habebit, quòd meritò sibi poteris esse devotus; & nos, à quorum sanis consiliis deviaturus ipse non creditur, ad tui dilectionem eum efficaciter inducimus. - Datum Laterani Nonis Decembris Pontificatus nostri anno undecimo.] Hæc singulari in Cæsarem benevolentia Innocentius, tertiam tamen post hyeme stylum mutaturus.

*A. 1209.* At Imperator inchoante Anno MCCIIX. quemadmodum San-blasianus narrat, [in Epiphania Domini apud Augustam colloquium habens] instaurato rursum senatus-consulto, [Ottonem Palatinum de Witelsbach, & Marchionem de Andechs lege Bavarica propter occisum Philippum proscripsit, eosque dignitatibus, beneficiis,

ac prædiorum suorum redditibus - judicia-  
liter privavit. ] Exinde [ generale collo-  
quium in quadragesima habens apud Hage-  
nowe, expeditionem in Italiam Principi-  
bus edixit, ibique occisum esse Ottonem  
Palatinum à Marscalco Henrico de Kallindin  
in vindictam Philippi nuntium accepit ]  
Eodem ferme tempore Germaniam subivē-  
re Hugo Ostiensis, & Velletrensis Episco-  
pus, & Leo sanctæ Crucis Presbyter, Car-  
dinales legati, qui etiam teste Godefrido,  
[ post Pascha Coloniam venerunt, ubi à  
Theodorico Archi-Episcopo electo, - cum  
gloria suscepti, & magno honore per dies  
quindecim sunt detenti. ] Præcipua lega-  
tioneis causa, ut contracta inter Ottonem  
Augustum, & Beatricem Philippinam spon-  
salia, sublato cognati sanguinis impedimen-  
to, legitima redderentur. Ad celebranda  
igitur Hymenæi auspicia, in quibus ab al-  
legato Sanblasiano descriptis Dux noster  
Leopoldus sponsorem egerat, [ generalis  
curia apud Herbipolim indicitur in Octava  
Pentecostes. ] Convenerant die statuta,  
videlicet IX. Kal. Junij ad amplissimum Se-  
natum principes, mediumque tribunal Cæ-  
sar concenderat, cùm [ Hugo Ostiensis pri-  
mò exorsus de causa regalis connubij, - Re-  
gi Ottoni, ut pro bono pacis, & concor-  
diæ ad abolendam præteritorum malorum  
me-

memoriam, cum filia Illustrissimi Principis Philippi matrimonium contraheret, auctoritate Dei, & Beati Petri, per Apostolicam obedientiam, in remissionem peccatorum suorum præcepit. Rege igitur ad hoc devoto animo consentiente, - puella jam nubilis à Duce Leopaldo Orientali, & Ludovico Duce Bavariæ adducta, tribunali sistitur, ac de consensu interrogata, verecunda admodum, & rubore perfusa, se lumbenti animo consentire respondit Mox à Duce Leopaldo, cognato suo, per manus Cardinalium lege Francorum Regi Ottoni desponsatur, à quo amantissimè amplexata, publici signo osculi, mutationeque anulorum subarrhatur, [dein verò illustri comitatu in Saxoniam perducta, apud Brunswick aliquamdiu mansura collocatur.] Vix mensis elapsus erat, cùm rursus [Otto Rex generalem curiam circa festum Apostolorum Petri, & Pauli apud Augustam Vindelicam celebrans præmissis priùs ad Apostolicum Cardinalibus, expeditionem movit in Italiam,] ut Imperij Romani diademate ornaretur.

II. Abeunte in Italiam Cæsare Dux noster Leopoldus Gyriensem in Styria inferiore solitudinem, quam alij ascetæ occupaverant, non tantum suis anachoretis reddidit, sed etiam fundis amplioribus liberaliter

ausit. Loquuntur hanc piam munificentiam  
 Principis literæ, quæ nonnullis silentio præ-  
 termisis ita sonant: [ Notitiæ tam præsen-  
 tium, quām futurorum transmittere cura-  
 vimus: qualiter nos pro remedio animæ no-  
 stræ, & parentum nostrorum tam vivorum,  
 quām mortuorum, domum quandam Car-  
 tusiensis ordinis Gyrio nomine restituimus,  
 quæ cùm quondam à Venerabili Hain-  
 rico Gurcensis ecclesiæ Episcopo feliciter  
 fuisset extructa, ab ordine prædicto per suc-  
 cessores memorati Episcopi in aliud fuit  
 translata ordinem, & sic penè annihilata  
 est, & destructa; quam nos pietatis officio  
 ad honorem Domini nostri JESU Christi,  
 & sanctæ ejus Genitricis Mariæ, & sancti  
 Joannis Baptistæ ad Ordinem Cartusiensium  
 revocavimus, nostræ sibi manum consola-  
 tionis porrigentes. Igitur juxta nostræ dis-  
 cretionis beneplacitum possessionibus, quas  
 ab initio suæ extirptionis habuit, & quas  
 nos de novo adaugemus, certissimos assi-  
 gnamus terminos.] Sequitur exinde fusa,  
 & accurata limitum descriptio, quā finitā  
 Princeps subjungit: [ Extra hos terminos  
 conferimus ei villam vinearum in Planinich;  
 præterea annuatim constituimus ei in foro  
 Marchburch quinque marcas Frisacensium  
 numorum pro piscibus. Concedimus etiam,  
 ut si quis ministerialium nostrorum prædia,

vel

vel quævis alia ei conferre voluerit, liberè conferat. Advocatiam etiam ejusdem loci nobis reservamus, & hanc totalem nostræ pietatis actionem sigilli nostri roboramus impressione. - Testes autem, qui in hac nostra præsentes fuerunt donatione subscribe re studiimus: Weregandus de Hoheneck, Gebhardus de Seuneck, Leutoldus de Pec cah, Dietmarus de Liechtenstein, Otto de Chremis, Ulricus de Stubenberch, Cholo de Truchsen, & fratres ejus Gotfridus, & Otto, Fridericus de Petowe, Reinbertus de Rohas, Cholo de Rafe, Bertholdus dapifer de Emerberch, Albero pincerna de Grimenstein, Rudigerus Marschalcus de Plan ckenwart, Eckhardus de Leibentz, Ota char de Wolchenstein, Otto de Wasen, Gebhardus de Chrumbach, & frater suus Hainricus de Wilthausen, Otto de Sultz. De Austria: Ulricus Struno, Henricus Camerarius de Tribeswinckl - Acta sunt hæc in foro nostro Marchburch, Anno Domini Incarnationis Milles. ducentesimo nono, In dictione duodecima, V. Idus Septembris.]

III. Interea Cæsar, cuius iter Otto San blasianus prosequitur, [per vallem Tridentinam ducens exercitum Veronam per ve nit. - Exin Bononiam copias trajiciens, genera lem inibi curiam cum principibus Ital iæ celebravit, ac inde Mediolanum per ve niens

niens validum ex omni Italia contraxit exercitum. Pyrenæum (hac voce scriptor Apenninum intelligit) transiens Tusciam appulit, nuntiosque ad Dominum Apostolicum, Patriarcham Aquilejensem, & Episcopum Spirensen cancellarium suum Romam præmisit, qui compositione imperialis consecrationis cum Apostolico facta ad regem regrediuntur] Otto proinde [mox ad urbem tendens exercitum castra metari ante portas fecit, ipséque crastinâ die Dominicâ ante festum sancti Michaëlis, quæ V. Kal. Octobris evenit, à Domino Papa Innocentio, & à Romanis honorifice suscipitur, datoque sacramento, se justum judicem, ac viduarum & orphanorum tutorem, nec non ecclesiarum, & præcipue patrimonij sancti Petri defensorem pro posse existere, ab Apostolico consecratus coronatur.] Atque hac narratione Otto San-blasianus in sylva Hercynia ordinis Divi Benedicti monachus, quem hucusque saepius testem audivimus suum chronicon absolvit. Cæterum quoad peractæ inaugurationis diem fides potior habenda Godefrido Coloniensi, dum Cæsarem [sequentí Dominicâ post festum sancti Michaëlis Archangeli, id est: III. (re ipsa legendum IV.) Nonas Octobris] in Vaticana Principis Apostolorum basilica coronatum pronuntiat. Id siquidem firmatur

tabulis per Odoricum Raynaldum allegatis, quibus Otto [Romanorum Rex,] adeoque nondum Imperator coronatus, præstitam Pontifici Maximo, sacróque Patrum Senatui ac populo Romano, per legatos securitatem, [in monte Malo IV. Nonas Octobris] roboravit, ] priusquam videlicet è castris armatâ equitum, peditumque pompâ deductus ad sanctuarij limina progrederetur.

IV. Haud tamen jurata summo Antistiti fides ultra meridiem perstittit, ortusque in urbe tumultus invidiam bello fecit. Cæsar etenim, prout Albericus illius ævi chronologus inquit, [eodem die, quo coronam suscepit, contra juramentum temerè veniens significavit Papæ: se non posse dimittere ei castra, quæ ab antecessoribus aliquibus temporibus fuerant possessa. Propter hoc, & propter quasdam expensas, quas Romani ab Imperatore ex debito petebant, & propter quasdam injurias, quas Romanis Teutonici irrogabant, orta fuit inter eos discordia, & conflixerunt Romani cum eis, & multi de Teutonicis occisi sunt, & plurimi damnificati ita, quod dictum est postea, in illo bello mille ac centum equos amisisse Imperatorem, præter homines occisos, & alia damna. Et sic Imperator occupavit castra, & munitiones, quæ erant sancti Petri: Aquam pendentem, Radicofanium, sanctum

etum Quiricum, Montem Flasconis, & alias partes.] Usque adeò pietatis larvam citè posuit, ut hanc solius Imperij causâ suscepisse videretur, dum interim occultâ Numinis providentiâ destinatus successor ejusdem Fridericus Rex, si Thomæ Fazello, etsi recentiori de rebus Siculis scriptori aquiescimus, [Constantiam Aragonum Regis filiam XV. Kal. Januarias Panormum ex Hispania ad id venientem uxorem duxit.]

*A. 1210.* Acribus exinde literis inter Pontificem Romæ, Cæsarémque in Hetruria hybernantem, Anno MCCX. certatum est; illo violati sacramenti perfidiam, animique ingrati labem reprobrante; isto vicissim solemnis juramenti religionem, vi cuius amissas Imperij ditiones recuperare teneretur, opponente. Suspensa interim spe, metūque hærebat Germania; quod reddituram alij concordiam præfigirent, alij rursus civile bellum ominarentur. Neque deerant, qui mixtis affectibus, & irritatum à Cæsare gaudebant Pontificem, tantis antea studiis Philippo adversatum, & exortam detestabantur discordiam, utpote perquam facile in cruentos reipublicæ Christianæ turbines erupturam. Inter hæc Dux noster Leopoldus de futuro primogeniti, etsi fasciis vix evoluti Hymenæo solitus, ut arctiore sibi fœ-

födere marchionem Misniæ obstringeret, oratores ad postulandam in nurum filiam expedivit. Gratum id Theodorico Principi, dummodò consensus maximi Pontificis accederet, per quem cognati sanguinis obstaculum tolleretur. Supplicem ergo libellum ad curiam Vaticanam Leopoldus dedit, legimusque has nuptias inhibentium rigorem mitigari petiit. Innocentius, et si alias Principi addictus, nequid tamen soli benevolentiae tribuere videretur; Eberhardum Salisburgensem, & Albertum Magdeburgensem Archimystas, literis ab Odorico Raynaldo allegatis, mense Aprili monuit: ut ea conubij impedimenta inquirerent, simûlque legitimas hæc eadem relaxandi causas explicarent.

II. At Imperator spretis Innocentij ministris collecto per Hetruriam, Insubriamque exercitu Apuliam invasit, ut eandem, cæterasque provincias velut Imperio Romano vestigales Friderico Siciliæ Regi extorqueret. Cessere venienti pleræque urbium, partim metu, partim proditione ad obsequia coactæ. Apuliæ sortem secuta mox Campania, Cæsari hyberna præbuit, quem Pontifex interim sacro fulmine perculit, dirisque addicatum per universam Italiam, Germaniamque publicè denuntiari jussit. Breviter ista, quamvis præoccupatâ temporis epo-

châ Conradus Urspergensis , hisce verbis expressit : Imperator [ juramenta , quæ fecerat de reformanda pace cum Philippo Rege Franciæ , & Friderico Rege Siciliæ , ut super his staret mandatis Domini Papæ , quatenus ecclesia tota non perturbaretur , omnino respuit observare . Quinimo manu hostili Apuliam intravit , & multas civitates ad Regem Siciliæ pertinentes in suam potestatem rededit , & principatum Capuæ cum palatio ejusdem civitatis accepit ; - cùmque super his ad resipiscendum frequenter admonitus à Papa fuisset , tandem contumax , & rebellis existens , ab eo fuit excommunicatus . ] Ast Otto vicissim , ut Godefridus Colonensis addit , [ per civitates , & castella custodi- bus deputatis , nè cui adeundi Papam pro aliquo negotio liceat , interdicit . ] Exter- rit itamen eo fulmine Pisani , quos Cæsar sollicitaverat , classim maritimam occupandæ Sardiæ destinatam domi retinuere . Laudavit hunc metum Innocentius , cùmque mi- nis repetitis auxit ; nè Ottoni Siciliam inva- dere molienti , suppetias præberent . Hunc siquidem epilogum adductæ per Raynaldum epistolæ adjecit . ] Verùm , si proposito illi duxeritis insistendum , ut contra nos , & Ro- manam ecclesiam Ottoni dicto Imperatori excommunicato , & maledicto , qui qualem post factum benefactoribus suis vicem repen- dat ,

dat, opera manifestant, impenderetis auxilium ad regnum Siciliæ occupandum, nec ingratitudinis vitium, nec poenam ob hoc contra vos, & civitatem vestram statutam, nec etiam excommunicationis sententiam possetis evitare. - Datum Laterani XI. Kal. Januarij, Pontificatus nostri anno XIII. ]

*A. 1211.* Quamvis autem Pontifex haud exiguum ditionum jacturam subiisset, potiori tamen illi curæ pax & concordia principum Christianorum erat, ut eandem magno licet ærarij Vaticani detimento redemptam vellet, Illustre hujus testimonium Abbas Urspergensis, etsi alioquin acerbiori calamo Innocentium perstringere solitus, ad Annum MCCXI. suppeditat, dum ita scribit: [Eo tempore, cum venissemus ad curiam Romanam, vidimus ibidem virum religiosum, abbatem de Morimunt, qui à festo sancti Michaëlis, sicut ipse afferebat, usque ad quadragesimam, quinque vicibus transferat à Roma usque Capuam iussu Domini Papæ, quatenus pacem reformaret inter Papam & Imperatorem, Cæterum Imperator nulla ratione flecti potuit, quin vellet de terra expellere præfatum Fridericum Regem Siciliæ, & de Philippo Rege Francorum ultionem querere; coquòd terras avunculi sui Regis Angliæ, videlicet Normanniam, & alias qua-

dam subegisset, & contra ipsum verba quædam temerè protulisset. Sanè, nè tanta turbatio fieret in Ecclesiâ & populo Christiano, voluit Dominus Papa sustinere omne damnnum, quod sibi Imperator in terris ecclesiæ Romanæ intulisset, aut inferret. Hanc formam compositionis, cùm recusasset Imperator admittere, dominus Papa, tanquam vir animosus, & confidens in Domino tria ardua negotia simul explere disposuit.]

II. Et verò primum inter ista exauditoria Ottonis erat, cujus instituendæ causâ Pontifex antistiti Moguntino, tanquam sedis Apostolicæ Legato, & Electorum Primati mandata misit. De his Godefridus Annalista : [ Syfridus Moguntiensis Archi-Episcopus, & legatus à Papa constitutus cum Herimanno Lantgravio, & Rege Boëmiæ, & quibusdam principibus, & nobilibus terræ apud Babinberch colloquium habuit, ubi episcopum ipsius civitatis propter necem Philippi Regis expulsum restituerunt. Causa etiam hujus negotij fuit, ut secundūm præceptum Papæ Ottонem Imperatorem relinquerent, & Fridericū Regem Siciliæ Heinrici Imperatoris filium eligerent. Sed, cùm plures assensum non præberent, infecto negotio recesserunt.] Verūm sive Godefridus colloquij arcani exitum ignoraverit, sive postea Principes iteratò congressi mentem mutaverint,

rint; Fridericum hoc eodem anno ad diadema Cæsareum fuisse invitatum ex laudato Urspergensi constat, qui neglectâ temporeum serie, sequentia recenset: [Principes Alemanniæ, Rex videlicet Bohemiæ, Dux Austriæ (Styriæque Leopoldus) Dux Bavariæ, & Lantgravius Thuringiæ, & alij quamplures convenientes, Fridericum Regem Siciliæ elegerunt in Imperatorem coronandum, cui etiam olim, cùm adhuc in cunis esset, jurauerant fidelitatem. Nuntios itaque acquirunt, qui hanc suam electionem tam in civitate Romana, quam apud præfatum Fridericum Regem Siciliæ promoteant, & ipsum in Alemanniam perducant. Mittuntur in hac legatione nobilis vir Hainricus de Nisen, & Anselmus de Justingen, promittunturque eis pro expensis, & itinere quindecies centenæ marcæ de redditibus imperij solvendæ. Cùmque hi simul usque Veronam perveniscent, præfatus Heinricus mansit ibidem, quantum favorem Lombardorum acquireret præfato Regi, & præcipue Veronensium. Dictus verò Anselmus magno labore, & periculis plurimis Romam pervenit, ibique consilio & interventu Domini Papæ obtinuit, ut à civibus, & populo Romano Fridericus Imperator collaudaretur, & de ipso factam electionem Papa confirmavit. Tunc itaque præfatus Anselmus progressus venit ad sæ-

pedictum Fridericum Regem Siciliæ, vixque obtinuit apud illum, ut iret in Alemanniam.] Sic tandem ea consilia probavit Pontifex, quæ post Philippi necem suggesserat Dux noster Leopoldus, ut patruo perempto nepos sufficeretur.

*A. 1212.* Fridericus igitur Anno MCCXII. prout Abbas memoratus scribit, [cùm parvulum jam ex conjuge haberet filium, Heinricum videlicet, postmodùm Regem factum, relictis uxore, & terra, iter arripuit ad accipiendum imperium, & primò Romam applicuit.] Èa in urbe commoratum fuisse mense Aprili ex diplomate per Odoricum Raynaldum adducto constat. Exinde [accepto favore & consilio Domini Papæ Januam pervenit. Hujus itaque civitatis cives iter ei parant securum; timebant enim incursus Mediolanensium, & ipsum Papiam usque perducunt. Tunc Papienses, & Cremonenses coadunati, usque in vallem Tridentinam ipsum conducunt.] Substitit aliquandiu inter eas alpes Fridericus, cùm interim Otto, qui dudum reverterat, teste Godfrido Coloniensi, [apud Nürnberch celeberrimam curiam habuit, ubi omnibus, qui præsentes erant, principibus causa werræ (sic discordiam appellabant) inter ipsum & Papam innotescit. Regnum etiam Bohemiæ abjudicatum Odocaro Regi, per sententiam

Principum filio ipsius, præsentibus - nobilibus terræ cum sex vexillis assignat. Nam matrem juvenis, sororem scilicet marchionis de Misne repudiaverat, & filiam Regis Ungariæ duxerat, ] Divortium istud jam olim Philippo Augusto in Premislaum advertendi, huic verò ad Ottонem deficiendi occasionem dederat. Solutis hisce comitiis, in quibus plerique Principum vota in alium inclinata obtexerant, Otto [Northusij nuptias celebravit, ducens filiam Philippi Regis, quæ sibi desponsata fuerat. ] Verùm thalamus illicò in sandapilam abiit, dum vix nupta Beatrix [quartâ die rebus excessit humanis, ] ut præcoci funere morituro propediem conjugis imperio prælufisse videretur.

II. Interea, ut Chronicon Australe, etsi perperam adjectâ insequentis anni epochâ, testatur, [Liupoldus Dux Austriæ, & Styriæ cum magno comitatu ad terram sancti Jacobi ad debellandum paganos transferat; ] Alphonso videlicet Castellæ Regi, adversus imminentem Maurorum exercitum suppicias allaturus. Iter per Galliam Princeps instituit, in qua vesanam hæreticorum Albigenium rabiem, immanibus latrociniis sævientem, complures è Germania factis insignibus auctorati milites impugnabant. Horum proinde nonnulli rebus feliciter gestis, prout Godefridus Coloniensis inquit, [cum

Duce Austriæ Luipoldo ad Hispanias contra ethnicos pugnaturi progrediuntur, ] ut alteram exinde lauream à profligatis rursum fidei Christianæ hostibus reportarent. Eripuit eam gloriam virtuti Germanicæ prope rata cœlitus Hispaniæ victoria , vi cuius prope bis centena barbarorum millia XVII.Kal. Augusti fuere delera , priusquam ducalia Austriæ, Styriæque vexilla Regum foederatorum labaris jungerentur. Ergo id unum Leopoldus præstare poterat, ut eam regibus palmam gratularetur , quam sibi , suisque præceptam doluit. Sic etenim de Principe nostro in suis annalibus Rodericus Toletanus, dum narrato Ubedæ , civitatis barbaræ, excidio subjungit : [ Redivimus Calatravam, ibique invenimus Ducem Austriæ de partibus Teutoniæ , qui satis in magno venerat apparatu. Indeque cum Rege Aragonum, cui erat consanguinitate junctus , in Aragoniam est reversus. ]

III. Neque diu cunctatus in Hispania Princeps accelerato itinere in Styriam contendit, ut erectum in solitudine Gyriensi fanum per antistitem Bambergensem dedit caret. Lubet isthic audire laciniam è tabulis decerptam, quas postea redux in Austriam Leopoldus Neoburgi dedit [ - Ad notitiam omnium cupimus pervenire: quòd cœnobio nostro in Gyrio, in die dedicationis

ecclesiæ, quam ibi ad honorem Dei, & Beatae Mariæ, & Johannis Baptistæ, & Beati Martyris Mauritij, Ducis, & Principis Martyrum Thebæorum propriis sumptibus ædificavimus, plures fecimus gratias speciales, & quasdam antè factas nobis placuit confirmare. Imprimis possessiones, quas ab Episcopo, & capitulo Gurcensis ecclesiæ emimus centum marcis argenti, pondere Frisacensi; cùm terminis, quos ei in privilegio foundationis assignavimus, concludantur, alios terminos visum est discretioni nostræ distinguendo limitare, & ad preces venerabilis Eckeberti, Babenbergensis episcopi, qui ecclesiam dedicavit, & Friderici dilecti filij nostri, & multorum nobilium ministerialium nostrorum, qui de Austria, & Styria ad dedicationem nobiscum convenierant, aliquantum ultra rivum Grassenich ampliare in dedicationis dotem hoc modo. ] Exprimitur nova limitum, censuūmq[ue] designatio per usitatam formulam roborata, quā finitā subjungitur: [ Testes autem, qui præsentes fuerunt, & ad hoc nos suis precibus induxerunt, subscribere studuimus: Eckeberthus Babenbergensis episcopus, Fridericus filius noster, Ulricus de Peccach, Albertus de Rohas, Luitoldus à Wildonia, Fridericus de Petovia, Otto de Chungenesperch, Otto de de Traberch, Otto de

Gretz. Liupoldus de Gonewitz, Hadmarus de Chunrinch, Marchwardus de Hyntberch, Rudgerus Marschalcus de Planckenwart. Acta sunt hæc Anno Domini Milles. ducentes. duodecimo VII. Idus Novembr. Indictione XV. Datum in domo nostra Niwenburch per manus notarij nostri Heinrici Petoviensis.] Periit quidem hæc membra, ejus tamen contextus in Friderici Ducis pulchri, postea Augusti, diplomate continetur, cuius fide nunc stare cogimur. Nam aliàs hanc epocham confono licet calculo expressam nonnihil dubiam reddit tenella nimiùm allegati Friderici ætas, qui Leopoldo, & Henrico fratribus natu minor, nonnisi quartum vitæ annum hoc tempore poterat numerare.

IV. At Fridericus Siculus Imperij Romaní candidatus, prosequente arduam illius semitam Abbatे Urspergensi, [cùm non posset directo itinere venire in Alemanniam, de valle Tridentina, per asperrima loca alpium, & juga montium eminentissima obliquo iter suum, venit in Rhætiam Curiossem, ibique receptus ab Episcopo Curiosi, & Abbatе Sancti Galli, - perductus est usque ad civitatem Constantiam.] Imperator econtra, qui ferro, flammisque Thuringiam vastaverat, ut Godefridus Coloniensis addit, [cum exercitu illi occurre-

re statuit; sed videns infirmiorem partem suam dimisso exercitu occulte ad inferiores partes se transstulit, ] ut imperium non tam invitus perdere, quam sponte cedere videretur. Posteaquam igitur æmulus recessit, testante Moguntino Chronicō per Serarium descripto, [ Fridericus de civitate in civitatem progrediens ab omnibus, ut Rex suscipitur, & brevi tempore Romanum imperium obtinuit. In festo deinde sancti Andreæ Apostoli celebrem principum curiam habuit Moguntiæ, præsentibus ibidem Trevitorum, & Sifrido Moguntino Archi-Episcopis, Herbipolensi, Argentinensi, Constantiensi, & Basileensi Episcopis, Rege Bohemiæ, Palatino comite Rheni, & Landgravio Thuringiæ, ubi multi principum Friderico fidelitatis præstiterū juramentum. ] Nequid tamen ad legitimam novi Cæsarī auctorationem decesset, electoralibus comitiis Francofurti VIII. Idus Decembr. institutis, Augustus appellatus est. Id siquidem, etsi nonnihil obscuris vocibus, indicate videtur Augustense Chronicō, dum ita loquitur: [ In festo sancti Nicolai Fridericus Rex intravit regnum Patris sui electus Frankenfurt. ] Quòd porrò inter aulæ novæ asseclas, neque Princeps noster Leopoldus neque Episcopus Eberhardus, neque Dux Boicæ Ludovicus, etsi votis diuturnis Fri-

de-

dericum expectâsent, ullibi memorentur, impedimento peculiari fors erat bellum civile, de quo breviter Chronicon prædictum: [Manigoldus Pataviensis Episcopus, & Rapoto (Bavariæ) Palatinus simul discordantes, claustra, monasteria, ecclesias, una cum omni provincia incendio devastârunt.]

A. 1213. Adfuit tamen proximo statim An. MCCXIII, ad præstanta Cæsari obsequia Dux noster Leopoldus, dum Ratisbonæ comitia mense Februario agerentur. Subscriptis enim diplomati, per Gewoldum vulgato, quo [Fridericus II. divina favente clemencia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ] Berchesgadensis cœnobij jura & privilegia, [XV. Kal. Martij] confirmavit. Ineunte pariter æstate Dux aulam secutus, iteratò nomen tabulis addidit, quibus Cæsar Innocentio III. supremum in Ecclesiæ Romanæ ditiones, singillatim expressas, jus asseruit, idque armatâ etiam manu adversus hostes se defensurum promisit. Adjetti testes prout eosdem membrana per Abrahamum Bzovium recitata exhibet: [Sifridus Moguntinensis Sedis Archi-Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, Eberhardus Salzburgensis Archi-Episcopus, Otto Wirzburgensis Episcopus, Manegoldus Pataviensis Episopus, Engelhardus Zeizensis Episcopus, Ottocarus Boëmorum Rex, Ludovi-

dovicus Dux Bavariæ , Liupoldus Dux Austriae & Styriæ, Hermanus Landgravius Thuringiæ . Acta sunt hæc Anno Domini nostri JEsu Christi Millesimo, ducentesimo, decimo tertio. Indict. I. Regnante Domino Friderico Secundo Romanorum Rege Glorio- so, & Rege Siciliæ, Anno Regni ejus Roma- ni primo , Regni verò Siciliæ decimo sexto. Datū apud Egram. IV. Idus Julij.]

II. Eodem ferme tempore laureatas è Lon- gobardia literas Fridericus acceperat, quæis Ottonianos acie vicos, labaróque primario, quod ob imanem altitudinem trabali plaustro velut malus navigio institerat, exutos fuisse nuntiabatur. Meminit hujus pugnæ Monachus Paduanus : [ Mediolanenses, qui partem Ottonis fovebant, cum exercitu infinito super districtum Cremonensium irruerunt. - Cremonenses, qui exaltationem Principis Friderici summo desiderio affectabant, apud castrum Leonis viriliter occurre- runt, incepþque bello in die Pentecostes Me- diolanenses terga vertentes, militum, & pe- ditum, non modicam quantitatem simul cum carrotio amiserunt. ] Inficta mox altera Ottoni clades, dum circa autumnum fœ- deratus eidem, prout Godefridus Coloni- ensis ait [ Dux Brabantiae cum episcopo Leo- diensi dimicans superatus est, ]

III. Miscebantur lætis tristia, postquam geminatus ex aulis cognatis nuntius, æquè Cæsari ac Princi nostro luctum attulit. Socialia comiti Tolossano, Albigensium hæreticorum protectori, arma Petrus Aragonius, Constantiæ Augustæ frater, junxit, qui anno superiore nobilem de Mauris in Hispania triumphum egerat. Sed disparem belli causam dispar exitus secutus est. Nam teste Godefrido Coloniensi, [congregatione facta Rex Aragoniæq; ui Begginis in auxilium venerat, occiditur.] Id pridie Idus Septembres contigisse, ex victoriæ monumento per Odoricum Raynaldum allegato constat. Eodem porro mense, videlicet IV. Kalendas Octobris, si qua Longino scriptori Polono fides, regia Hungariæ aula impio facinore cruentata est. In hac siquidem Gertrudis Bertholdi Meraniæ Ducis filia, Andreæ Regis consors, à Petro Bancone conjuratorum antesignano, simûlque præmeditatae necis conscio Joanne Strigoniensi Archiepiscopo, per immanem barbariem occisa est. De hâc Augustense Chronicon: [Regina Gertruda Ungarorum, mater sanctæ Elisabeth, sponso expeditionem contra Ruthenos movente, à comite quodam Petro trucidatur, qui & ipse sequenti nocte in ultionem sceleris cum alijs jugulatur; cui Episcopus de Gran misit in epistola amphibolo,

bologica : Reginam occidere nolite time-  
re bonum est ; si omnes consentiunt ego  
non contradico.] Neque aliud cædis adeò  
nefandæ irritamentum , quām quòd cā pa-  
trocinante Germani prima regni sacerdotia,  
aulæque munia occupâssent, quos inter Ber-  
tholdus , Reginæ frater , Archi-Episcopus  
Colocensis eminebat. Hoc etenim Rex  
ipsem in suis ad maximum Pontificem li-  
teris, quas Raynaldus ad annum subsequum  
recenset, sufficienter expressit ; dum se hu-  
jus præcipue antistitis causâ magnatum odia  
incurrisse questus est.

*A. 1214.* Proximâ dein hyeme Cæsar  
Wolffgero Patriarchæ Aquilejensi, amplissi-  
ma per varias ditiones jura , quæ velut Impe-  
rij Romani Princeps possidebat , novo diplo-  
mate roboravit. [Acta sunt autem ista Anno  
ab Incarn. Dom. MCCXIV. Indict. II. men-  
sis Februarij septimo exeunte , apud Augu-  
stam in curia generali.] Interea Otto , qui  
Coloniæ Agrippinæ urbis illius præsidio mu-  
nitus hærebat , Joannem Britanniæ Regem ,  
Henricum Brabantiae Ducem , & Ferdinan-  
dum Flandriæ Comitem ad arma pellexit ,  
quibus teste Abbatे Urspergensi [pugnaret  
contra Philippum Regem Franciæ , quem  
plurimum habebat culpabilem de omni suo  
labore.] Prælusere bello imminenti latro-  
cinia , quibus Geldriensis dynastia per emis-  
arios

sarios militum prædantium globos vastata est. Posteaquam verò Flander, & Brabantus ad castra convenere, Otto ipsem, prout Godefridus annalista memorat, [ circa Iulium mensem cum - plurimo exercitu ad bellum proficisciatur ; ubi juxta Tornacum prælio comisso Rex Galliæ victoriam obtinuit, ] captique sunt ea in pugna, ut Abbas Urspergensis addit : [comes Flandriæ, & Comes Boloniæ. Otto quoque Imperator, & Rex Angliæ, & alij quidam vix aufugerunt.]

II. Opportuna hæc clades Friderico Augusto erat, ut paratis jam armis Ottonianos Principes aggredetur. Exemplò igitur, quemadmodùm iteratò Godefridus narrat, [ cum validissimo exercitu Mosellam transiit, & terrore suo quoslibet nobiles terræ illius ad favorem suum inclinavit. Deinde Mosam transiens Ducem Brabantiæ petiit, qui celeri adventu ejus territus, supplex ad eum venit, fidelitatem promisit, insuper filium suum, & alios nobiles viros, obsides dedit. ] Expeditioni huic nostrum adfuisse Principem diploma indicat, quo Cæsar [ Anno Regni Rom. II. Nonis Septembribus in castris apud Julianum ] illustri equitum Teutonicorum ordini eam prærogativam constituit ; ut arces & latifundia, quantumlibet juri altiori obnoxia, eidem in plenum, perpetuumque dominium offerri, & transcribi possint

possint. Impetraverat hanc gratiam Hermannus equitum Magister, qui castra Cæsaris ea potissimum de causa sequebatur, ut amplissima Principum Germanorum auxilia ad vindicandam è barbara tyrannide Hierosolymam obtineret. Resonabat enim profanos inter lituos sacri belli classicum, dum Innocentius III. Pontifex Maximus, testante Godfrido, [ per omnes fines Christianorum quoslibet idoneos magistros prædicare crucem præcipit. Unde per diversas provincias innumerabilis multitudo pro amore Christi, & liberatione sanctæ terræ cruce se signat. ]

A. 1215. At Cæsar comitante Leopoldo Principe, tantisper in Germaniam superiorem redux, accitis Sueviæ, Boicæque magnatibus Augustæ Vindelicorum senatum habuit. Aderat reliquos inter Præfules etiam Manegoldus episcopus, qui Principi nostro ob usurpata ecclesiæ Pataviensis jura litem moverat. Cessit ultro, quēis causam facile tueri poterat, legum præsidia Leopoldus, quam proinde Cæsar antistiti adscripsit, tabulisque per Gewoldum editis confirmavit. [ Acta sunt hæc An. Dom. Incarn. MCCXV. Indict. III. regnante Domino Friderico II. Rom. Rege Glorioso, & Rege Siciliæ. Anno Regni ejus III. Datum apud Augustam, Nonis Aprilis. ] Sed proximus inde mensis ei-

dem Præfuli supremus accidit, dum teste Hundio, V. Idus Maij, fatorum legem adimplavit. Augustense Chronicon prætermisso die solùm ita loquitur: [ Manigoldus Pataviensis episcopus obiit; Ulricus ejusdem ecclesiæ canonicus succedit.] Interea Cæsar festinato itinere ad Rhenum contendit, & memorante Godefrido, [apud Andernacum colloquium Kal. Maij cum nobilibus terræ illius habuit,] cùm codem ferme tempore Otto profugus Agrippinæ mœnia reliquisset. Sic etenim Albericus: [Cives Colonienses pauci sunt pecuniam Ottoni jam reprobato, ut recederet ab eis, - & ipse post Pascha (quod XIII. Kal. Maij celebratum erat) clam recessit, & post ejus recessum uxor ejus, filia Ducis Brabantiae, sub specie viri peregrini similiter recessit à Colonia, & secuta est virum suum,] residuos vitæ annos in Brunsvicensi dynastia exæcturum.

II. Ottonis fuga æmulo ad occupandum Caroli Magni solium apertam demum semitam reliquit. Priusquam tamen eò proficeretur, expedito apud Argentinam XV. Kal. Julij diplomate, quod Raynaldus exhibet, [Sanctissimo in Christo Patri, & Domino suo Innocentio sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici Fridericus DEI, & sui gratiâ Romanorum Rex, & semper Augustus, & Rex Siciliæ cum filiali subjectione de-

debitam in omnibus Apostolicæ sedi obedientiam & reverentiam ] detulit, simûlque translatâ in Henricum filium Siciliæ coronâ, se regni ejusdem fascibus post receptum Imperiale diadema integrè cessurum promisit. Proximo dein mense cum illustri Principum comitatu , prout Godefridus memorat , [ Aquasgrani veniens - in festo sancti Jacobi à Syfrido Legato Apostolicæ Sedis, Coloniæ Archi-Episcopo non existente , in Regem ungitur , & in regali sede collocatur. ] Non tamen Augustis Germaniæ insignibus ornari poterat, quod eadem Otto , quantumlibet exauctoratus , etiamnum retineret ; parùm solito de iis Friderico, apud quem jus Imperij obtenti valebat, reliqua velut inania transmittebantur. Supplere hunc defectum videbatur Cæsar is pietas , dum regio delibutus oleo [ ad subventionem terræ sanctæ cruce ] signaretur. Imitati fuere hunc ardorem [ Sifridus Mogontiensis Archi-Episcopus , Leodiensis , Babinbergensis , Pataviensis , Argentinensis Episcopi , Dux Meraniæ , Dux Brabantiaæ , Dux de Lymburg , - & alij plurimi nobiles , & magna equestris ordinis multitudo , scum dudum eundem characterem Dux noster Leopoldus recepisset. Expedivisset tamen Cæsari eâ sacræ militæ tessera abstinere , quæ dein neglecta in sacrilegum belli civilis somitem exarsit.

III. Adulto postmodum autumno Gene-  
tale Concilium Lateranense , testante Go-  
defrido [ in festo sancti Martini inchoatum ,  
& usque ad festum sancti Andreæ protra-  
etum ] est. Adfuerunt ex utroque Orbis  
Christiani imperio , ut Abbas Urspergensis  
refert, [Episcopi quadringenti, & duodecim,  
inter quos extiterunt de præcipuis Patriar-  
chis duo , videlicet: Constantinopolitanus ,  
& Hierosolymitanus. - Primates autem , &  
Metropolitani septuaginta & unus. Cæte-  
riūm Abbates , & Piores ultra octingentos. -  
Legatorum verò Regis Siciliæ in Romano-  
rum Imperatorem electi , Imperatoris Con-  
stantinopolitani , - nec non & aliorum prin-  
cipum , & magnatum - ingens fuit multitu-  
do.] Sancita porrò suère à Patribus Inno-  
centio præside ter considentibus , septuagin-  
ta dogmata , quæ ad evertendas hæreses ,  
morésque innovandos opportuna videban-  
tur. Postulante pariter Eberhardo Salis-  
burgensi antistite , prout Chronicum Augu-  
stense memorat , [ in ipsa synodo Chiemen-  
sis episcopatus instituitur ; & Rudigerus pri-  
mus episcopus ordinatur.] Effulserè tamen  
ultra omnes præsulum tiaras gemina Eccle-  
siæ sydera Dominicus , & Franciscus , quo-  
rum ille sanctissimum Prædicatorum Ordin-  
em , hic religiosissimam Fratrum Minorum  
familiam haud pridem inchoaverat. Uter-  
que

que in eo concilio obtinuit, quemadmodum scriptores illorum domestici fusiūs recensent, ut pientissima hæc primordia magno Patrum assensu collaudarentur. Fuere mox tanta utriusque cœtūs incrementa, ut exiguo post tempore suas quoque in Styriam colonias propagârint. Statutum postremō in eodem Concilio, ut crucis tesserâ signati milites post menses octodecim, videlicet [ Kal. Junij sequentis post proximum anni conveniant in regnum Siciliæ, alij - apud Brundusium, & alij apud Messanam; ] secundis inde velis in Syriam profecturi.

*A. 1216.* Ad promovendum igitur sacri belli apparatum Innocentius Pontifex Anno MCCCXVI. è Vaticano Patrum collegio cum amplissima potestate Legatum in Germaniam misit. Hunc porro ineunte Majo Norimbergensibus assedisse comitiis Godefridus Coloniensis asseverat. [ Fridericus Rex in festo Apostolorum Philippi & Jacobi curiam apud Nurimberch habuit, ubi Petrus Cardinalis sanctæ Potentianæ (legendum: Pudentianæ) à Domino Papa missus adfuit. ] Au-  
lam exinde Herbipolim prosecutus Dux no-  
ster Leopoldus religionis illius pulcherrimæ,  
atque in paucis eximiæ testem egit, quâ Cæ-  
sar ad suorum majorum invidiam, usurpata  
perpetram ecclesiarum spolia diplomate pu-

blico ejuravit. Integrum illud exhibet Henricus Meibomius Junior, Chronico Magdeburgensi additum, ex quo voces pientissimas Cæsaris isthèc audire lubet: [Fridericus DEI gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ. Illud privilegium, quod Rex Regum, & Dominus Dominantium in memoriam ecclesiasticæ libertatis pretiosissimo sanguine suo scripsit, ita regio decet custodire favore, ut nunquam in eo quidquam appareat, quod illius gratiæ videatur obteñebare decorem, quæ à tanto procedit auctore. Ut ergo post terreni regni fastigia securius expectare possimus ab ipso æternæ felicitatis coronam, cùm nostræ devotionis ministerio permanferit in suæ integritatis gloria sponsa Christi; grata sui statûs debet à nobis percipere potius incrementa, quam ipsius sub quadam specie servitutis pro posse finamus indumenta discerpi. Ideoque veterem illam consuetudinem detestantes, quam antecessores nostri Romanorum Imperatores & Reges in cathedrales exercuerunt ecclesias, & abbatias, quæ manu regiâ porrigitur; quòd videlicet decedentibus episcopis, & prælatis eorum, non tam reliquias rerum mobilium eorundem consueverant occupare, quam etiam redditus, & provenitus per totius anni curriculum ita prorsus auferre, ut non possent solvi debita decedentis,

nec

nec succedenti prælato necessaria ministrari; eidem consuetudini, sive juri, vel quocunque vocabulo exprimatur, renuntiamus penitus in reverentiam Crucifixi, cuius in corpore nostro bajulamus insignia, illud eisdem ecclesiis perpetuo jure donantes, & authoritate regia statuentes: ut ecclesiarum omnium libertate integra semper in omnibus permanente, res, & redditus hujusmodi in solvenda debita decedentium prælatorum, & in alias ecclesiæ usus convertantur. - Acta sunt hæc Incarn. Dom. An. MCCCXVI. Indictione IV. - Datum Herbipoli, - V. Idus Maij, anno Regni Domini Regis IV.] Hæc pietas Augusta.

II. Æmulabatur eandem Princeps Leopoldus, dum Pataviensis ecclesiæ Canonicis recitatam à Gewoldo hanc immunitatem largiretur. [Cùm singularum ecclesiarum utilitatibus debeamus semper, atque velimus prospicere, principaliter tamen, & præcipue ecclesiæ Pataviensi, quæ nostra est mater in Deo, hoc debitum solvere volumus, & debemus, ut gratiâ filialis reverentiae, quam ipsi duximus exhibendam in terris, ipsa nos materno affectu reddat acceptos postmodum, & felices in cœlis. Quocirca tam futurorum, quam præsentium memoriæ commendamus, quod nos - ipsi ecclesiæ, matri nostræ donavimus, ut universa victualia ad communem mensam, & usum

cathedralium spectantia, - sine omni exactione in Danubio liberè transducantur. - Acta sunt hæc in scolis Pataviæ. Anno Dom. Incarn. MCCXVI. Indict. V. Innocentio III. Papa, regnante Friderico Rege Roman. & Siciliæ.] Expresserat ea liberalitate suam in Pataviensis ecclesiæ mystas benevolentiam Leopoldus, cùm eodem ferme tempore Udalricus dynasta Stubenbergicus, qui sacræ militiæ nomen dederat, retentos hucusque fundos ascetis Seccoviensibus per literas sequentes reddidit: [Ego Ulricus de Stubenberch omnium patere industriæ cupio, quod in procinctu itineris versu terram Ierosolymitanam constitutus, quatuor mansus in villa Rotenberch sitos, & à Domina Hildegarde de Rase, materterâ meâ, Seccoviensi ecclesiæ pridem donatos, sed à me temporibus vitae meæ iniquè detentos, unâcum a sensu filij mei Wulfingi, - liberè remitto præfatæ ecclesiæ, & ut ista constitutio mea, neque à filio meo, neq; ab aliquo propinquorum infringi debeat, præsentem paginam sigilli mei impressione munio, testesq;, in quorum præsentia hæc facta sunt adhibeo, quorum nomina sunt hæc: Wolfkerus Abbas de S. Lamberto, Engilbertus Abbas Runensis, Sifridus hospitalarius de Cerwald, Otacarus Plebanus de Murce, Albertus Plebanus de S. Dionysio, Leutoldus liber de Peccach,

Ru-

Rudolfus de Stadeke, Rapoto de Stein, Heinricus, & Hartwicus fratres de Chrotendorf, Heinricus, & Rainhardus fratres de Avelenze, Chrafft Dapifer, Hartmannus de Perneck, & filius ejus Heinricus & Hugolinus. Acta sunt hæc in castro Caphenberch Anno ab Incarn. Dom. MCCXVI. Indict. quarta, VII. Kal. Julij. ] Neque verò ambiguum videtur, complures alios è Styriæ magnibus arma in Syriam adornasse, etsi horum nomina etiamnum delitescant.

III. At nemo magis urgendo in Palæstinanum bello, quam ipse met Innocentius III. Pontifex maximus institutus; inter eos tamen conatus, testante Alberico, ardore febrium in paralysim ac lethargum desinente extensus. Postquam eterum, ut Chronicon Augustense inquit, [ab Urbe egressus verbum Crucis in Tuscia prædicavit, apud Perusium civitatem obiit, ibique sepultus est.] Delatae mox claves à Patrum senatu, qui Pontificem comitatus erat, Centio SS. Joannis, & Pauli titulo Pammachij, Cardinali presbytero, XV. Kal. Augsti electo, proximâque Dominicâ, seu IX. Kal. ejusdem consecrato. Ipse met verò Honorius hujus nominis III. obtentam recens dignitatem Pontificiam datis Perusij VIII. Kal. Aug. literis Solymorum Regi per hæc verba insinuavit. [ Felicis recordationis Innocentio Papa, prædecessore

nostro, XVII. Kal. Aug. soluto debito carnis ad regionem sanctorum spirituum evocato, & sequenti die celebratis exequiis, ac cum honore debito collocato ipsius corpore in sepulchro, unà cum fratribus nostris ad eligendum convenimus successorem, & die tertio Spiritus sancti gratiâ invocatâ super hoc tractavimus diligenter, & post tractatum diutinum placuit fratribus universis, humeris nostris, quamvis in sufficientibus, imponere onus istud. Et licet imprimis duxerimus resistendum, nè tamen videremur vocationi divinæ resistere, submisimus humeros ad portandum; sperantes, - quod ipse, qui vota fratrum aspirando prævenit, prosequetur etiam adjuvando.] Et verò munus istud magno reipublicæ Christianæ emolumento, in nostram quoque Styriam redundantem, compluribus exinde annis feliciter gessit. Sub idem fere tempus ad innovandos cleri, populique mores, quod Synodus Laterana jussérat, testante Votaviensi Chronico, [concilium provinciale à Domino Eberardo Salzburgen- si Archi-Episcopo celebratum est; cui interfuerunt Pataviensis, Frisingensis, Gurcen- sis, & Chyemensis Episcopi. - In hoc concilio Prælati monasteriorum totius provinciæ absentes; à Domino Metropolitanano sunt excommunicati, quam sententiam Hono-

rius Papa confirmavit.] Nec severa nimium  
hæc censura videri poterat; quod ecclesiæ  
disciplina exigeret, ut instaurata vitæ, mo-  
rūmque innocentia primitus in sanctuariis  
effulgeret.

**IV.** Insequens autumnus Leopoldo Du-  
ci, subditisque provinciis acerbum vulnus  
intulit, dum aulæ paternæ delicum, nobil-  
isque juventutis principem, fato miseran-  
do rapuit. Leopoldus hic erat, ut ordine  
nascendi filiorum primogenitus, ita præclaris  
animi, corporisque dotibus, quas tenera  
etiamnum ætas explicare poterat, parenti  
simillimus. Natus anno sæculi præsentis  
septimo, inter egregia pietatis, & literarum  
elementa feliciter hucusque accreverat, cum  
inopino, eoque ferali casu lectissimus ado-  
lescens periit. Fors animi relaxandi gra-  
tiâ pædagogus indulserat, ut sepositis tan-  
tisper paginis pomarium subiret, genium-  
que hortensia inter ambulacra liberiore au-  
rà oblectaret. Dum verò incautus sui di-  
scipuli proditor, non modò severius super-  
cilium temperat, sed vigilem quoque ocu-  
lum subtrahit; flavescentium in arbore pru-  
norum, quæ cerina dicuntur, illectus cupi-  
ditate juvenis in eandem eluctatus est; at  
seu fallente vestigio, seu ramo defluente  
præceps, cervice fracta expiravit. Mile-  
randum funus comploratione publica Neo-  
burgi.

burgico illatum clauſtro, majorūmque ci-  
neribus appositum est. Hæc rhythmis ver-  
naculis Enenckelius recenset, cùm interim  
Australē chronicon verbis paucissimis triste  
fatum innuat: [ obiit Leopoldus juvenis  
Dux.] Sensit postea recrudescente dolore  
gravius jacturam hanc aula, & respublica,  
dum Leopoldo dispares Henricum, & Fri-  
dericum fratres experta est; et si horum læ-  
ta juventus interea modum lachrymis sta-  
tuisse videretur.

*A. 1217.* Primo anni sequentis mense Dux  
noster Leopoldus comitiis Norimbergensi-  
bus adfuit, ut tabulæ Gewoldianæ mon-  
strant, queis Cæsar Udalrico Pataviensium  
Præfuli antiqua privilegia instauravit. [Acta  
sunt hæc Anno Domini MCCXVII. regnan-  
te Domino Friderico II. Anno Regni Ro-  
mani ipsius V. Siciliæ verò XVIII. - Da-  
tum in solemni curia in Nurenberg, XII.  
Kal. Febr. Indict. V.] Exinde suos ad au-  
lam Vaticanam oratores Cæsar misit, qui  
Romani Imperij ornamenta peterent, si-  
mûlque de altero facri belli apparatu age-  
rent, vi cuius Fridericus ipsemet angustas  
in orientem aquilas deduceret. Neque enim  
ante receptam in Urbe purpuram Christia-  
ni exercitū Imperatorem agere volebat. Re-  
scripsit Honorius verbis sequentibus, quæ  
Odoricus Raynaldus exhibet. [Nos ad ea,  
quæ

quæ DEI & Ecclesiæ Romanæ honorem, ac exaltationem respiciunt, aspicientes: ad te legatum nostrum disponimus destinare, per quem tam super iis, quæ ex parte tua nobis fuere proposita, quam super terræ sanctæ succursu celsitudini regiæ, secundūm quod expedire videbimus, curabimus respondere. - Datum Later. VI. Idus April. Pontificatus nostri Anno I.]

II. Etsi verò suspensis armis Cæsar in Germania permaneret; nihilominus teste Australi Chronico, [Rex Ungariæ Andreas, & Liupoldus Dux Austriæ, Styriæque cum aliis plurimis ad terram promissionis tendunt.] Adjunxere se principum vexillis, quorum tamen alter Europa excessurus non erat, prout Chronicon Voraviense inquit: [Albero Præpositus Salzburgensis, & Fridesricus Præpositus Berchesgadensis, qui apud Brundusium obiit.] Explicatis in eo portu velis, ut Chronicon Australe addit, [Dux Liupoldus transfretavit mare sedecim diebus;] insulamque Cyprum tenuit, in quam militaris senatus ad Deiparæ nascentis solemnia indictus erat. Placuit præ cæteris Leopoldi sententia, quâ Syriæ litora præfidiis firmanda; tum verò Ægyptum, è qua potissimæ barbaris vires, impugnandam censuit. Hac siquidem expugnata Soldani Babylonici, Hierosolymæ tyranni potentiam, succisis veluti

veluti nervis ultrò ruituram. Decretâ belli ratione classis in Syriam contendit, secundisque impulsa ventis Ptolemaide anchoras defixit. Expositus in terram miles, cùm paulisper quievisset, lustratus illico, & in hosticum deductus est. Nè verò cœlestè præsidium bellatoribus deesset, quorum gesta deinceps è Godefrido Coloniensi audiemus, [ sextâ feriâ, post festum omnium Sanctorum (videlicet pridie Nonas Novembbris) patriarcha Jerosolymitanus cum magna devotione tam cleri, quàm populi, tollens vivificæ crucis lignum profectus est Acaron (re ipsa Acone) in castra Domini, quæ jam processerant ad Recordana. Hoc autem dulce lignum post terram sanctam perditam reverenter repositum, & servatum est usque ad hæc tempora. Imminente siquidem conflictu Saracenorum (qui vicesimo ab hinc anno contigerat) cogitaverunt prudenter Christiani lignum in duas partes dividere, & partem unam ad prælium deferre, quæ ibidem perdita fuit, & partem alteram reservare, quæ nunc exhibetur.] Huic igitur [Rex Ungariæ, & Dux Austriae de loco castrorum progressi nudis pedibus occurrentes, de osculati sunt eam; cum tali signo obviam euntes Soldano Babylonis, cuius filius Coradinus jactaverat se pugnaturum cum Christianis.]

III. At prælium istud intra solam arrogantis barbari jactantiam persistit, qui linguâ quā manū promptior, ad pugnā erat. Post quam etenim sacræ legiones [ sequenti die venerunt Bethsaidam, ubi castra fixerat adversarius; trium regum, Ungariæ scilicet, Ierosolymæ, & Cypri - præsentiam fugiens, terram vastandam christianis reliquit. Unde Jordanem transeuntes in vigilia S. Martini corpora sua pacificè laverunt, & requieverunt per triduum. Deinde secus litus maris Galileæ tres mansiones fecerunt, - & sic per Capharnaum in jumentis infirmos suos portantes reversi sunt Acaron (sive Aconem) cum præda ac multitudine captivorum.] Haud tamen isthinc desidere placuit, quod dilapo per fugam hostili exercitu, simûlque favente æris temperie miles in campum educi flagitaret. Gratum id Leopoldo, cæterisque principibus, qui proinde correptis rursus armis [ad montem Thabor pervenerunt, ubi Coradinus castrum fortissimum cum septuaginta septem turribus construxerat, & duo millia conductorum militum ad resistendum Christianis locaverat.] Nemeque novum id munimentum erat; sed è veteris Itabyrij ruinis, quod olim teste Flavio Josepho Vespasianus Augustus expugnaverat, ob insignem loci commoditatēm instauratum. Explicatis itaque militaribus signis,

prout

prout Godefridus pergit, [ primâ dominicâ adventûs Domini (videlicet III. Nonas Decembris) Patriarcha cum vexillo crucis montem conscendit, episcopis & clero psallentibus & orantibus. ] Eo cantu velut classico incitati [ equites & pedites viriliter ascendentes, primo impetu straverunt castellum - cum aliis, qui portas egressi fuerant, ad defensionem montis. ] Cùm verò turribus impugnandis arietes, & catapultæ deforrent, ac insurgentes vehementius Aquilones omnia gelu constringerent, ad hyberna discessum est; barbaris tamen eo terrore percussis, ut ipsimet postea muros everterent, sibique stativa remotiora quærerent.

IV. Dum verò victoria per Syriam vexilla Leopoldus explicat, Archimysta Eberhardus episcopalem in ecclesia Seccoviensi cathedram erigere aggressus est. Quamvis etenim Gurcenses in Carinthia Præsules, e quorum serie hoc eodem anno, ut Chronicon Voraviense memorat [ Heinricus obiit, eique Udalschalcus Canonicus Gurensis successit, ] vices Eberhardi per Styriam sustinuerent, gemini tamen Ducatus onera, illorum vires excedere videbantur. His itaque sublevandis nil magis opportunum decernere poterat, quam ut curis in plures infulas divisis saltem aliqua amplissimæ provinciæ pars à proprio deinceps antistite regeretur.

Eo

Eo super negotio cùm supplices Honorio literas per Catolum Frisacensem Præpositum Eberhardus obtulisset, Pontifex hisce laudibus, quas epistolæ fragmentum ab Odorico recitatum exprimit, pientissimum illius zelum prosecutus est: [ Et tibi meritum incomparabile comparas apud DEUM, & nobis spiritualium præstas materiam gaudiorum ; quia sicut minister Christi, & mysteriorum DEI providus dispensator, familiæ tibi creditæ non plus præesse cupiens, quām prodesse : postponis lucra temporalia profectibus animarum ; in grege tibi comisso - nuper unum ei præficiendo pastorem ( videlicet Chiemensem ) & nunc præficiendi alium licentiam à nobis cum instantia postulando. - Datum Later. IV. Non. Decembr. Pontificatus nostri anno secundo. ] Expedita simul fuere mandata, queis Otto Frisingensis Episcopus, Bertholdus Brixinensis electus , & Godefridus Admontensis Abbas , novæ diœcесeos limites inspicere, designatos redditus ad calculum revocare, pariterque Cathedralis Ecclesiae Salisburgensis , & collegiatæ Seccoviensis sententiam exquirere jubebantur. Inter hæc Luitoldus Voraviensis Præpositus diligendi successoris potestatem ascetis suis contulit, ut curarum vacuus residua labentis valetudinis momenta inchoandæ impenderet æternitati. Delectus est

Henricus I. ordine antistes IV. quod singuli  
lari prorsus animi lenitate suavissimum cœ-  
nobio regimen polliceretur.

A. 1218. Neque diu superstes abdicato  
magistratu Luitoldus egit, sed inchoante  
Anno MCCXVIII. quoquè hominem X. Kal.  
Februarij exuit. Eodem verò tempore haud  
exiguum Palæstinæ rebus, quibus promo-  
vendis Dux noster Leopoldus adeò solicite  
institerat, detrimentum imminere cœpit.  
Testante siquidem Australi Chronico, [in  
principio ipsius anni Andreas Rex Hunga-  
riæ exercitum Christianum relinquens disces-  
sit, ] abductis secum lectissimis sui regni co-  
piis, eapropter à Solymæ Patriarcha, ut  
Matthæus Parisius perhibet, sacro ustula-  
tus fulmine, quantumvis Jordane corpus  
abluisset. Haud major Hugoni Cyprio con-  
stantia, sed peior exitus; dum crucis trans-  
fuga, prout Godefridus Coloniensis ait,  
[post modicum tempus Tripoli mortuus  
est] Horum igitur defectione aliquamdiu  
sufflaminatum hæsit bellum Ægyptiacum,  
etsi ardentibus adeò votis antea decretum.  
Nè tamen residuus miles interim otiosus age-  
ret, [Rex Hierosolymitanus, & Dux Au-  
striæ cum Monasterensi & Trajectensi epis-  
copis castrum Cæsareæ Palæstinæ semidiru-  
tum brevi tempore viriliter firmaverunt;  
Templarij verò cum Hospitalariis de domo

Teu-

Teutonicorum, castrum peregrinorum ædificare cœperunt.]

II. Advenere dein victoria Belgarum auxilia per Guilielmum Hollandiæ comitem adducta, quæ anno superiore Mauros è Lusitania ejecerant. Horum fortitudine freti Principes classim descendunt, celerique cursu arma Ægypto inferunt. Prima navigia IV. Kal. Junij hostiles attigisse terras, expeditæ ad summum Pontificem literæ, quas Odoricus Raynaldus exhibet, asseverant. Cùm reliqua adventâssent, præstante fidem Australi chronicō, [Damiata civitas regalis auctore Duce Leupoldo, & instigante ab exercitu Christianorum circumdatur.] Priusquam tamen urbs munitissima, quæ olim Pelusium dicta extremis in orientem Nili faucibus assidet, proprius impugnari posset, occupanda erat turrita moles, quæ litorî opposito imminens ferreâ, eâque prægrandi catena fluminis alveum obserbat. Instrudæ igitur scalis pensilibus, per quas miles irrumperet, insignis altitudinis biremes, sed irrito conatu fuere admotæ. Nam sive nimio certantium pondere, sive improvidi architecti errore, ut Godefridus Coloniensis memorat, ] malus, in quo suspensa fuit scala hospitaliorum, confractus decidit, & paulò post scala Ducis Austriæ similiter decidit, fortes agonistas Christi deorsum præcipitans

tans, & per martyrij palmam ad cœlum elevans.] Non tamen id reliquos commilitones terruit, quominus alterum rursus navigium robustiori fabricâ, ac ponte firmiori apparatum conscenderent. [Hoc opus in die sancti Bartholomæi turri appositum est, Saracenis viriliter se defendantibus, modò sagittis, modò lapidibus, modò lanceis & maximè per ignem. Attamen divinâ clementiâ - extinctus est ignis in ponte, & turrim Christiani audacter intrant, & capiunt.] Expugnatae hujus molis gloria, ut è fusiore Steronis chronicò nondum edito annalista Boicus Andreas Brunerus afferit, Leopoldo Duci ab exercitu delata. Admota dein propriùs urbi castra, quæ suis vexillis Itali, Britanni, Gallique recens advecti auxerant. Obsidium tamen ad usque anni subsequi autumnum inter varios bellorum casus extratum est, quod mœnia invicto robore valida incassum tormenta quaterent, urbemque Barbari tentato sæpiùs prælio, attamen frustra, liberare niterentur.

III. Dum gloriofa Principis nostri arma in Oriente fulgent, futurum Occidentis Imperio Cæsarein, eumque olim patriæ nostræ vindicem, Germania enixa est. Siquid enim chronicò Colmariensi credimus; hoc eodem anno [Rex Rudolfus nascitur Kalendis Maij,] felici sanè horoscopo, qui perennem

nem Augustæ Domini Habspурgo - Austriacæ  
inter pacis oleas, bellique laureas virorē por-  
tenderat. Ex hac deinde Styria Principes suos  
hoc eodem sæculo habere cœpit, quorum  
clementissimo regimine ad tempora nostra  
gaudet, superisque faventibus, ut vota me-  
liora cupiunt, perpetuò gaudebit. Exo-  
riente novo Romani Orbis phosphoro, eo-  
dem mense Otto IV. antea Imperator Au-  
gustus, ut Albertus Abbas Stadensis ait: [in  
castro Hartesburg, ineffabili contritione  
compunctus, - XIV. Kal. Junij obiit, à Si-  
frido Hildensem episcopo absolutus; ]  
atque ut Godefridus Coloniensis addit:  
[ imperialibus indumentis juxta patrem  
suum, & matrem in ecclesia sancti Blasij, ]  
urbis Brunsvicensis sepultus. Princeps sanè  
magnis animi corporisque donis inclytus,  
cui nihil ad gloriæ mortalis fastigium defuit,  
quām quòd imperarit. Supremum quoque  
diem, quemadmodum Augustense chroni-  
con asserit, [Wolffgerus Patriarcha Aquile-  
jensis obiit, ] cùm magnis in ecclesiam, &  
republicam Christianam meritis inclaruif-  
set. Nobili Dynastarum de Ellenbrechts-  
kirchen familia, teste Hundio, genitus, sa-  
crisque litteris egregiè eruditus, Patavien-  
sem primitus infulam; deinde verò Aquile-  
jensem adeptus est. Siqua nostro Martino Bau-  
cero in relictis collectaneis authoritas, eâ

vitæ sanctitate fulserat; [ut marmoreæ ar-  
cæ operculum, in qua Aquilejæ conditus  
fuit, aliquo tempore pependerit in ære,]  
ac si Præfulis venerandi exuvias mortalium  
oculis eripere formidaret. Subrogatus ei-  
dem fuit, ut chronicon laudatum ait, [Ber-  
tholdus Archi-Episcopus Golotensis,] qui-  
nimo Colocensis, quæ cathedra in regno  
Hungariæ alterum dignitate locum post Stri-  
gonientem obtinet.

IV. At archimysta Eberhardus Seccovien-  
sem in Styria cathedralm erigendi potesta-  
tem à summo Pontifice hisce literis accepit:  
[Honorius Episcopus servus servorum DEI  
Venerabili fratri Eberhardo Salzburgensi  
Archи - Episcopo salutem, & Apostolicam  
benedictionem. Quòd non tua, sed quæ  
Christi sunt, vel potiùs, quæ Christi & tua  
sunt, sedulâ meditatione requiras, opera  
tua testimonium perhibent evidenter; dum  
commisso tibi gregi prodeesse desiderans po-  
tiùs, quām præesse, animarum lucrum, si-  
cut decet Domini sacerdotem, præfers quæ-  
stui temporali; quin etiam, nè non tam eas  
pascere, quām depascere videaris, carnalia,  
quæ posses metere in eisdem, voluntarius  
offers spiritualia seminanti, sicutque fit, ut  
ministrum Christi, & dispensatorem myste-  
riorum DEI te faciens æstimari, tuum hono-  
res in Domino ministerium, tēque reddas  
omni-

omnibus honorandum, & favorem nostrum ex his eò specialius tibi vendices, quò nostris beneplacitis expressius te coaptas. Prudenter enim recogitans, quòd Salzburgensis diœcesis usqueadè est diffusa, quòd non sufficias universis habitantibus in eadem pastorali sollicitudine imminere, timens quoquè, nè non sit, qui parvulis lac doctrinæ, vel proventis cibum solidum administret, aut quod infirmum est, in eis consolidet, aut alliget, quod confractum: olim per dilectum filium Carolum Frisacensem Præpositum per literas tuas nobis humiliter supplicasti, ut in Seccoviensi ecclesia tuæ diœcesis Episcopalem sedem creandi tibi licentiam concedere dignaremur, parato de assensu capitulitui, ei unam dietam & dimidiam in diœcesi, & trecentas marchas in redditibus assignare, ita ut per omnia ipsius ecclesiæ Seccoviensis jure salvo, nihil de bonis ipsius ad Episcopalem cathedram transferatur, nec ullum exinde in dignitatibus, libertatibus, consuetudinibus, & rationibus Salzburgensi capitulo præjudicium generetur. Unde licet forsitan eò minus ad hoc insufficiens debeas reputari, quò insufficientiam allegas instantius, Nos tamen tuum propositum dignis in Domino laudibus commendantes, & precibus tuis, eò favorabilius annuentes, quò rarius eis similes, & frequentius dissimiles, vel potius

contrariæ porriguntur, ut res tam ardua sine omni offensione procederet, Venerabili fratri nostro Frisingensi Episcopo, & dilectis filiis Brixinensi electo, & Abbatii Admontensi nostris dedimus literis in mandatis, ut hujusmodi negotij circumstantias solicite inquirentes, & specialiter, si hoc ecclesiæ Salzburgensi expedire viderent, & ad id capituli ejusdem assensus accederet, necnon, si Seccoviensis ecclesia ex hoc servaretur indemnisi, & utrum esset sufficiens, & idonea futuri Episcopi provisio prætaxata, diligentius indagantes rescriberent nobis super his omnibus fideliter veritatem, quâ cognitâ de consilio fratrum nostrorum procederemus inoffensè. Episcopus verò, & Abbas prædicti, sicut suis nobis literis intimârunt, quia prædictus electus cruce signat⁹ in procinctu quasi peregrinationis positus huic negotio interesse non poterat, ad Salzburgensem ecclesiam personaliter accedentes, consensum capituli ad hoc invenire præparatum, & quantūm tam ibi, quam alibi super hoc poterant edoceri, didicerunt hoc Salzburgensi ecclesiæ absque dubio expedire. Præpositum quoquè, & capitulum Seccoviense personaliter allocuti, acceperunt responsum, quod & Seccoviensis ecclesia illæsa remaneret penitus, & indemnisi, & ut eorum verbis utamur, terminos novæ Diœceseos

extendi usque ad dietam , & dimidiām inveniunt. Parochiam videlicet Chumbenz , cum omnibus suis pertinentiis , in qua sita est Ecclesia Seccoviensis , usque ad finem parochiæ sancti Laurentij in longum : ecclesiām verò sanctæ Matiæ in Pranck usque ad finem parochiæ Lemsniz in latum , cum omnibus ecclesiis mediis , & earum pertinentiis , & capellis , quæ sunt in earum terminis constitutæ. Unde nobis per eundem Præpositum , & literas tuas iterum cum instantia supplicasti , ut cum paratus sis , & diœcesin , & redditus , sicut superius est expressum , futuro Episcopo assignare , tibi facultatem creandi novum Episcopum in prædicta Seccoviensi ecclesia traderemus ; ita : quod electio ac investitura ejusdem Episcopi ad te , ac successores tuos absque omni contradictione pertineat , de quorum bonis idem episcopatus dotatus noscitur , & ditatus ; Gurcensis autem episcopus , qui vicarius Salzburgensis antistitis in sua diœcesi esse dignoscitur , in illo quoque sit episcopatu vicarius , quantum Archi - Episcopalis exigit jurisdictio , nè in hoc etiam jus ipsius grave dispendium patiatur. Nos igitur habito fratum nostrorum consilio , quia tuum in hac parte propositum ad Divini nominis gloriam , & Christianæ religionis augmentum intellectimus pertinere , favore illud Apostolico prosequentes , po-

stulata concedimus, sicuti superiùs sunt expressa, sine juris præjudicio alieni. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis DEI, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum per manum Rainerij sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarij X. Kal. Julij Indict. VI Incarn. Dom. Anno MCCXVIII. Pontificatus Domini Honori Papæ III. Anno secundo.

V. Obtento Pontificis annuatu Eberhardus ad augendam Seccoviensis æquè, ac Chiemensis infulæ dignitatem à Friderico Augusto petiit; ut ambo Antistites, quantumlibet Archi-Episcopo soli forent obnoxij, inter reliquos imperij Romani præsules admitterentur. Subscriptis postulatis Cæsar, dum annuente principum senatu tabulas sequentes dedit. [ Fridericus Divinâ favente clementiâ Rom. Rex Secundus, semper Augustus, & Rex Siciliæ, dilecto Principi suo Eberhardo Salzburgensi Archi-Episcopo in perpetuum. Religiosæ, ac piæ intentionis tuæ propositum Augustâ liberalitatis nostræ gratiâ adjuvantes honestæ petitioni tuæ aurem benevolam inclinamus, de Majestatis Regiæ tibi munificentia con-

ce-

cedentes, ut duæ cathedrales ecclesiæ, videlicet Chiemensis, & Seccoviensis, quas de Romanæ sedis licentia, & regiæ benignitatis applausu, nec non & de principum nostrorum assensu de Ecclesiæ tuæ construxisti, & dotâsti redditibus, & de exfalcatis à tua diœcesi certis distinxisti limitibus, apud majestatem Imperij honorem contineant, & si quis procedente tempore vel castra, vel ministeriales, monetas, thelonia, vectigalia, vel quascunque publicas functiones pro salute animæ suæ, vel quocunque titulo eis conferre voluerit, hæc omnia eis liceat nomine regalium possidere, & Episcopi earum à te, & successoribus tuis, qui à tempore fuerint, more vasalorum ea recipient, & cum juramento fidelitatis præstent hominum, & in juramento fidelitatis nullum penitus excipient, vel excludant. Ministeriales verò earundem ecclesiarum juramentum fidelitatis suis præstent episcopis, & in juramento illo nullum excipient præter solum Archi-Episcopum Salzburgensem, & ipsi omnia jura ministerialium obtineant, quæ ministeriales ecclesiarum Alemanniæ obtinere haec tenus consueverunt. Volumus etiam, ut eisdem vacantibus sedibus regalia ad solum Archi-Episcopum respectum habeant, donec ipse vacanti ecclesiæ in Pastore provideat, qui regalia de manu ipsius in forma

accipiat supradicta. Adicimus etiam, quod si præfatos Episcopos curiam regiam frequentare contigerit, licentiam habeant Pontificales sedes deferendi. Hujus testes sunt: Theodoricus Trevirensis Archi-Episcopus, Otto Herbipol. Episcopus, Otto Frisingensis Episcopus, Ulricus Patav. Episcopus, Chunradus Ratispon. Episcopus, Chuno Fuld. & Elwacensis Abbas, Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Henricus Comes de Ortenburg, Theowaldus Dux Lotharingiæ, Rapoto Comes Palatinus Bavariæ, Burchardus Comes de Monsveld, Hermanus Comes de Hirsinberch, Eberhardus Comes de Dornberch, Anselmus, de Justingen, Marschalcus, Wernerus de Bollant Dapifer, Ulricus de Mizzendorff Camerarius, & alij quamplures. Signum D. Friderici Romanorum Regis semper Augusti, & Regis Siciliæ. Ego Chunradus Metensis, & Spirensis Episcopus Imperialis aulæ Cancellarius, vice Domini Sifridi Mogunt. sedis Archi-Episcopi, totius Germaniæ Archi-Cancellarij, recognovi. Acta sunt hæc Anno Domin. Incarnationis MCCXVIII. Regnante Domino nostro Friderico Rom. Rege semper Augusto, & Glorioso Principe Siciliæ, Anno Regni ejus VI. Datum apud Nuermberch VII. Kal. Novemb. Indictione VI. ]

A. 1219. Secundis igitur Pontificis, Cæsarisque auspiciis inter Anni MCCXIX. primordia, prout vetus Chronicon Salzburgense inquit: [ Seccoviensis episcopatus à Domino Eberhardo Salzburgeri - creatur, & Carolus Frisacensis Præpositus eidem sedi præficitur,] qui anteà hujus erigendæ causâ oratorem in aula Vaticana egerat. Exinde Basilicæ Metropolitanæ [ crypta, & altera S. Joannis à Seccoviensi episcopo Carolo consecrata est IV. Idus Februarij,] ut hæc prima novi Antistitis functio fuisse videatur. Eodem porro tempore [ concilium provinciale à Domino Archi. Episcopo celebratur, cui interfuerunt Pataviensis, Frisingensis, Gurcensis, Chiemensis, Seccoviensis Episcopi;] simûlque per Eberhardum datæ XIII. Kal. Martij Indictione VII. Carolo, ejusque successoribus literæ, quæs præsulatūs jura, & onera continentur. Hoc igitur eodem anno, quo publicam ista lucem subeunt, sub gloriösâ Celsissimi ac Reverendissimi S. R. I. Principis ac Domini, Domini Josephi Dominici Episcopi Seccoviensis; metropolitæ Salzburgensis, & cathedralis Passavensis ecclesiarum respectivè Præpositi, & Canonici capitularis; Sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ XI. Prælati domestici, & utriusque signaturæ Referendarij; Cel-  
sissimi, ac Reverendissimi S. R. I. Principis,

& Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliarij Intimi; ejusdēmque per utramque Styriam, & districtum Neostadiensem in pontificalibus, & spiritualibus Vicarij Generalis, ex comitibus de Lamberg &c. &c. Patroni nostri ac fautoris clementissimi infulâ, sextum cathedra Seccoviensis sæculum perquam feliciter est auspicata.

II. At parum abfuit, quin hæc eadem inter ipsa statim initia vehementiori turbine quassaretur. Ægro prorsus animo Theora Princeps tulerat, nesciente aulâ, & absente in terris remotissimis conjugé, novum in Styria episcopatum, & quidem iis prærogativis fuisse conditum, queis jura Ducalia infringi viderentur. Acerbiore proin querimonia refertas ad Honorium literas dedit, quibus acta rescindi, conjugisque redditum expectari petiit. Æquam censuit querelam Pontifex, ideoque severiori edicto, quod ex Raynaldo suppeditamus, Eberhardum perstrinxit. [Mandamus : quatenus diligenter corrigens per te ipsum, quod in ejusdem Ducis præjudicium attentâsti, ejus iuria non minuas, sed conserves penitus illibata, & donec ipse dante Domino revertatur, nihil in præjudicium terræ suæ attentare præsumas, mandatum nostrum taliter impleturus, quod propter hoc tibi durius scribere non cogamur ; quia sibi illatam injuriam,

riam, imò nobis in ipso, non possemus æquanimiter sustinere. Datum Romæ apud S. Petrum Nonis Maij, Pontificatūs nostri anno tertio.]

III. Oppugnatum interea Pelusium in eam rabiem barbaros egerat, ut ipsimet Solymam, cuius recuperandæ gratiâ Ægyptus premebatur, eversis repentino furore propugnaculis spoliarent. Sic etenim Godefridus Coloniensis, è quo nonnulla breviter delibanda veniunt. [Regina civitatum Jerosolima, quæ videbatur inexpugnabiliter munita, destructa est à Coradino filio Saphadini intus, & foris. Muri ejus cum turribus redacti sunt in acervos lapidum, præter templum Domini, & turrim David. De gloriose sepulchro destruendo consilium habuerunt Saraceni, & per literas cominati sunt, quas civibus Damiatæ miserunt ad ipsorum solatium; sed nemo huic temeritati præsumpsit manus apponere propter loci reverentiam.] Stetere interim adversus omnem catapultarum, arietum, aliarumque machinarum vim constanter invicta Damiatæ mænia, quæ tamen circumfuso ingenti exercitu, et si jam perruptis [pridie Kal. Augusti] obsidentium castris, irritâ semper ferociâ liberare Soldanus nitebatur. At vergente subsequo mense illata obfessoribus clades, dum [in decollatio-

ne S. Joannis Baptistæ - exercitum pedi-  
tum, & equitum eduentes ad castra Babi-  
loniorum tenderent inter mare & fluvium,  
ubi dulcis aqua reperiri non poterat. - Nam  
cùm æstus solis esset nimius, & pedites ar-  
morum pondere premerentur, propter la-  
borem & sitim terga dantes cum equitibus  
extincti sunt sinè vulnere corruentes. At  
Saraceni, qui sublatis tentoriis fugam simu-  
laverant, - reversi plurimam multitudinem  
interficiebant, & captivabant, quingenta  
capita Christianorum Soldano præsentan-  
tes.]

IV. Barbarus tamen haud ignarus, quòd  
[civitas obsidione longâ, ferro, fame, & pe-  
ñitentiâ graviter afflîcta] in extremo discri-  
mine versaretur; [amore retinendæ Damia-  
tæ pacem cum fratre suo Coradino Christia-  
nis obtulit; ut crucem sanctam, quæ capta  
fuit in victoria Saladini, cum civitate sancta  
& omnibus captivis, qui per regnum Baby-  
lonis, & Damasci vivi reperiri possent, sum-  
ptus etiam ad reparandos muros Jerusalem  
redderet; insuper regnum Jerosolymitanum  
totaliter restitueret, præter Graccum, &  
Montem Regalem, pro quibus retinendis  
tributum obtulit. Sunt autem hæc duo lo-  
ca in Arabia sita, septem firmissimas muni-  
tiones habentia, - & qui hæc potenter ob-  
tinuerit; Jerusalem, cùm voluerit, graviter  
nimis

nimis cum agris, & vineis lēdere poterit. Rejectis hisce conditionibus in senatu militati decretum: [ut primū civitas expugnaretur, licet opus causā liberationis terræ sanctæ fuerit inchoatum,] eō, quod hujus retinendæ spes non esset, quamdiu Barbarus Ægypto, tanquam belli gerendi horreo, & exercitūs armamentario potiretur.

V. Non tamen adusque obsidionis finem, etsi belli Ægyptiaci author, Dux noster Leopoldus perstigit, cui satīs ad gloriam erat expugnatā turri Niloticā referatum ad urbis mœnia fuisse aditum; hanc verò in eas angustias redactam, ut propediem ruitura foret. Contemptis igitur spoliis, quæ opulentissimum totius Orientis emporium victoribus pollicebatur, prout chronicon Australe memorat, [Liupoldus Dux Austræ & Styriæ gloriose ad propriam terram revertitur,] incredibili provinciarum gaudio, mox etiam Principum aggratulantium plausu Norimbergæ salutatus. In ea siquidem urbe Cæsar adolescente autumno comitia agebat, ut per legatum à Pontifice ornamenta imperij Romani peteret, pariterque prætermissæ, quam in nuperam æstatem sponderat, expeditionis sacræ veniam obtineret. Aderat tunc quoque Eberhardus Salisburgensis Antistes, quocum privilegiis Norimbergensi- bus inter Constitutiones Imperiales à Gol-

dasto recitatis, Dux noster Leopoldus [VI. Idus Novembr. Indict. III.] suffragium addit. Annitente pariter Cæsare Seccoviensis episcopatus primordia benigno Principis annu-  
tu fuisse stabilita, inde arguitur: quod deinceps à lite ulteriori cathedra, quemadmodum Odoricus Raynaldus fatetur, perstiterit immunis.

VI. Interea hoc eodem mense Pelusium ab exercitu Christiano interceptum est, cum ingentem urbi solitudinem, residuis ægrè vitam trahentibus, lues, & inedia induxissent. Rei gestæ seriem rursus Godefridus Coloniensis exhibet. [Quidam Christiani circa mediæ noctis silentium consilio, ut credimus, quorundam de civitate intromissi fuerunt, ] editoque ab iis signo [alij multi ascendentes turres fortiores auroræ lucem in eis præstolabantur. Exortâ luce Nonarum Novembrium omnes se captivos Saraceni Damiatæ dederunt, - & cum caperetur civitas in oculis Regis Babylonis, - ipse confusus propria castra combussit, & fugit.] Victores porro milites ad prædam effusi [invenerunt in ea aurum, & argentum multum nimis, pannos sericos negotiatorum, vestes pretiosas, & ornatum cum varia supellecili in superabundantia. Præter eos, qui vivi comprehensi sunt in ea, mortui promiscui sexus à tempore obsidionis computantur ad triginta.

triginta millia.] Atque hæc erat illa consilio, manuque nostri Principis ad evertendam barbarorum tyrannidem inchoata feliciter victoria; sed postea temerario principum aliorum bello per summum dedecus foedata.

*A 1220.* Lætus Pelusio expugnato Pontifex Anno MCCXX. auspici victoriarum DEO per totius orbis Christiani provincias epiniciuni cantari; tum verò expectatum alterâ jam hyeme Cæsarem ad recipiendam in Urbe coronam, & promovendas in Orientem aquilas properare jussit. Imperator econtra moras nectere, & nova semper impedimenta causari, quēis Pontificem blandè falleret; certus interim Germaniâ non excedere, priusquam imperij successorem filium, electorum calculo designatum cerneret. Celebratis igitur finiente Aprili, ut ex diplomate in Trevirensium annalibus, per Christophorum Bröwerum allegato patet, amplissimis principum comitiis, teste Alberto Stadensi, [Heinricus Imperatoris Friderici filius patre volente Franckenvorde in Regem eligitur.] Suffragatur Alberto Lvoldus Northofius, qui sæculo sequente comitum de Marka chronologiam texuit. [Fridericus Rex celebrem curiam in Franckenfurt tenens, per omnes principes fidelitatem Henrico filio suo præstari curat.] Etsi ve-

rō prōnōs in vota electores Cæsar habuīset, verebatur nihilominus, nē hæc eadem velut irrita Honorius rescinderet, aut patrī regni jura tanquam extincta reposceret. Jam antea siquidem se regno Siculo in filium transferendo penitus decessurum Fridericus addixerat; nē illud cathedræ Vaticanae eripi, Cæsarūmque solio annecti videretur.

II. Ad demulcendum igitur Pontificis animum hisce verbis ex epistola per Raynaldum exhibita delibatis, factum excusavit. [Quanquam vestrās non receperimus literās, plurim tamen intelleximus ex relatu, quod Ecclesia mater nostra super promotione charissimi filij nostri non modicūm sit turbata. - In conspectu nāmque clementiæ vestræ inficiari nec possumus, nec debemus: quin erga promotionem unici filij nostri, tanquam qui ipsum paternis affectibus non possumus non amare, laboravimus hactenus juxta posse, quod equidem nequivimus obtinere. Dum autem apud Franckenford, ubi pro licentiandis principibus juxtam morem Imperij indixeramus generalem curiam, personaliter venissemus, secundūm mandatum vestrūm accedendi ad pedes vestros, iter exinde duce Domino arrepturi; ex insperato præsentes principes, & maximè illi, qui priùs promotioni dicti filij nostri

nostri obviârunt, nobis inscijs, & absentibus elegerunt eundem. Cujus electio cùm nobis pateficeret, sicut fuerat celebrata absque vestra notitia seu mandato, sinè quo nihil præsumimus nec volumus attentare, ipsi electioni contradiximus consentire; sed institimus apud eos, quòd si vellent hoc gratum, & ratum nos habere, quilibet scriptum suum sigillo munitum conficeret, ut electionem ipsa vestra Sanctitas acceptaret. - Videtur autem nobis beatissime Pater, & præsumptione colligimus evidenti, quòd cùm habeatis nos, & filium nostrum in visceribus charitatis, non ob aliud promotionem filij nostri gravem fertis, nisi quia de unione regni cum Imperio dubitatis, quod equidem timere, aut suspicari non debet ecclesia mater nostra. - Absit enim, quòd imperium commune aliquid habere debeat cum regno, aut occasione filij nostri, & electione suâ, ipsa ad invicem uniamus; inò eorum unioni, nè possit esse temporibus aliquorum, totis nisibus obviamus, prout videbitis operis per effectum; quia in his, & in aliis tales nos exhibebimus Apostolicæ sanctitati, quòd meritò gaudere poterit mater ecclesia talem se filium procreâsse.] Acquievit mitissimus Pontifex, magnisque desideriis adventantem Cæsarem expectavit.

III. Inter hæc cathedralis ecclesia Seccoviensis Geroldum Præpositum, qui sexto supra nonagesimum sæculi præcedentis anno regimen susceperebat, egregiis functum meritis sepulchro intulit, e dêmque Hezmannum antistitem, ordine tertium, subrogavit. Hujus porrò nomen in tabulis occurrit, quas [Liupoldus Dux Austriæ & Styriæ] sequenti tenore dedit. [Notum esse volumus tam præsentis, quam futuræ generationis hominibus: quod nos munimini patriæ nostræ operam dantes à Seccoviensi Præposito venerabili Hezmanno, ejusdémque cœnobij sanctis fratribus obtinuimus duos mansus juxta Cerwald fitos, ad attinentiam castri nostri Guettenstein transituros; pro prædictis alpem penè eos sitam infra Gradam cum omnibus attinentibus paucis potestativâ manu usui ipsorum tradentes. - Acta sunt hæc Anno ab Incarnatione Domini Millesimo ducentesimo vicesimo, regnante Friderico Rege feliciter.] Arcem porro Guettensteiniam, quam novis propugnaculis Leopoldus armare cœperat, olim Styriæ, nunc Austriæ adscriptam, suo postmodum funere Fridericus Pulcher Augustus nobilitavit.

IV Inchoante dein æstate Cæsar, cum Henricum filium Engelberti Prætulsi Coloniensis tutelæ credidisset, Constantiâ Augustâ

gustâ comite, prout antea laudatus Northo-  
fius inquit, [post festum Joannis Baptistæ  
Italiæ cum magna virtute ingreditur.] An  
princeps quoque noster Leopoldus unâ pro-  
fectus sit, affirmare non ausim. Lentum  
verò Cæsari ob æstuantis Sirij calores iter  
fuisse, documento sunt literæ, quas teste  
Raynaldo Veronâ Idibus Septembris, dein  
Bononiâ III. Non. Octobris ad aulam Va-  
ticam præmisit. Proxiimo demum men-  
se urbem ingressus, ac memorante Gode-  
frido Coloniensi. [â Romano Pontifice Ho-  
norio, & omni senatu honorificè susceptus,  
in festo S. Cæciliæ in Imperatorem conse-  
cratur.] Fusiori calamo hæc eadem coro-  
nationis solemnia, Conrado Moguntinæ ec-  
clesiæ scholastico, ac Sedis Apostolicæ nun-  
tio, Honorius ipsem per prescripsit. [Nove-  
ris: quod charissimus in Christo Filius no-  
ster Fridericus Romanorum Imperator illu-  
stris, & Rex Siciliæ, nuper in dominica (vi-  
delicet X. Kal. Decembr. Divæ Cæciliæ sa-  
cro) quæ præcedit Dominicam de Adventu,  
in omni pace ac tranquillitate suscipiens de-  
manibus nostris imperij diadema, in omni  
devotione affixit suis humeris publicè si-  
gnum crucis, præstito ex intimo mentis fer-  
vore corporaliter juramento, quod in pro-  
ximo futuri mensis Augusti passagio trans-  
fretabit auctore Domino in subsidium ter-

ræ sanctæ. Venerabilis quoque frater noster Metensis episcopus, Imperialis aulæ Cancellarius, & dilecti filij, nobiles viri (Ludovicus) Dux Bavariæ, ac Wernherus de Bollandia dapifer, nec non alii marchiones, Comites, Barones de Theutonia, & Apulia, plures quam quadringenti, & cum eis numerosa militum, & peditum multitudo, recepto palam crucis signaculo, in proximo passagio Martij se transfretaturos in prædictæ terræ subsidium devoverunt. Datum Laterani V. Kal. Decembris. Pontificatus nostri anno V.]

V. Erexit hâc eâdem subsidiorum spe Pelagium Albanensem Episcopum, ac Pontificium in sacro exercitu legatum Honorius. [Tuæ Fraternitati exponimus: nos Dominicâ ante adventum Domini proximâ Charrissimum in Christo filium nostrum, Fride- ricum Romanorum Imperatorem semper Augustum, & Regem Siciliæ, & illustrem Imperatricem, consortem ejus, in Principis Apostolorum basilica cum inæstimabili alacritate, ac pace civium Romanorum solemnissime coronâsse; qui factâ tribus diebus in monte Malo morâ continuâ, tandem præstitâ nobis securitate, quod tibi, & Christiano exercitui in proximo Martio succursum magnifice destinabit, & in sequenti Augusto personaliter transfretabit, regnum cum pace

pace & gaudio est ingressus; ea, quæ ad  
subsidiū terræ sanctæ pertinent, provi-  
surus. Confortare ergo in Domino, & in  
ejus servitio exercitus Christiani corda con-  
firma, desideratum succursum favente Do-  
mino magnificè habiturus. Datum Late-  
rani XVIII. Kal Jan. Pontif. nostri anno V.]  
Quantopere verò spes ista Pontificem, or-  
bemque Christianum fefellerit, tristis exi-  
tus comprobavit.

A. 1221. Quamvis etenim Cæsar datis Sa-  
lerni IV. Idus Februar. Anno MCCXXI. li-  
teris, Italiæ, Germaniæque principes ad so-  
cianda vietricibus aquilis vexilla invitâsset,  
ideoque teste Australi Chronico, [Dux  
Bavariæ Ludovicus, & episcopus Patavien-  
sis Ullricus cum aliis multis] ineunte vere Pe-  
lusium navigâssent, non tamen ille quidpiam  
auxiliorum mittere, sed armatam quadra-  
ginta velorum classim, in anchoris otiosam  
detinere. Motus ea cunctatione Pontifex  
hisce verbis ex epistola, per Odoricum edi-  
ta, de promptis Cæsarem perstrinxit. [Uti-  
nam attenderes, quām desiderabiliter te præ-  
stoletur exercitus Christianus, - & adver-  
teres, quantam spem de te promiseris ecclæ-  
siæ generali! - Sed nunc multi murmurant,  
multi clamant: quòd postponis exequi vo-  
tum tuum. At, ut velle illud exequi videa-  
ris, galeas, quas feceras præparari, detines,

quæ si forsitan nunc transirent, magnum possent conferre auxilium exercitui Christiano, qui eo indiget vehementer. Ut igitur hoc opprobrium à te auferas, nec nos facias ab hominibus lacerari, qui dilationem voti nobis præcipue imputantes, contra nos jurant, (fors jurgant) incessanter; immò, ut illi complaceas, cuius te obsequio devovisti: serenitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente, obsecrantes per Dominum IEsum Christum: quatenus ei, qui est veritas, verax existens, causam ejus in veritate pertractes. Datum Laterani Idibus Junij, Pontificatus nostri anno V.] Misit demum ea navigia archithalasso comite Henrico Melitensi Cæsar, attamen nihil aliud actura, quam ut propudosam Pelusij per barbaros recepti ditionem spearent.

II. Interea siquidem ad expugnandum Cairum, veteribus Memphis, ut equitum Templiorum magister recenset, [post festum Apostolorum Petri & Pauli, Rex Hierosolymæ Joannes) & legatus (sedis Apostolicæ Pelagius) totusque exercitus Christianus, tam per fluvium, quam per terram ordinatè procedentes, invenerunt Soldanum, & cum eo iniūicos crucis innumeros, sed tamen ante faciem ejus fugientes.] Ingens etenim belli apparatus usqueadè barbaros

baros terruit, ut teste Godefrido Coloniensi [ Soldanus obtulerit se regnum Jerusalem redditurum, urbem reædificaturum, Damitam quietè cum adjacentे regione ad virginis milliaria possidendam relieturum, nè ulterius in terram suam procederent.] Rejecere hanc pacem belliduces, utpote Augustis freti aquilis, quas propediem ad subjugandam universam Ægyptum affuturas expectabant.

III. Instructâ igitur acie, prout Templi magister narrationem continuat, [ pervenitum fuit ad tentoria Soldani flumine tamen medio, quod nequivit exercitus pertransire. - Soldanus interim per vallum antiquitus factum ( fossa regum dicebatur ) galeas & galones Nilo crescente misit in flumen ad impediendum navigium nostrum ; nè nobis victualibus destitutis à Damitata venirent alimēta, cùm per terram prohibentibus Saracenis minime venire potuissent. Interclusâ itaque viâ tam terræ quam fluminis ad necessaria nobis deferenda, habuit consilium exercitus de redditu faciendo, sed fratres Soldani Seraph, & Coradinus, - qui in ejusdem subsidium advenerant, nobis redditum dengabant. Exercitus tamen noster nocte recedens per terram, amisit victualia, quæ ferrebat, & homines multos ; quia Soldanus ex crescente Nilo fecit aquam derivari per mea-

meatus occultos, & canales antiquitus constitutos ad impediendum regressum populi Christiani. Cùm igitur in paludibus fere omnia necessaria Christi exercitus amisisset, - inter aquas inclusus, sicut piscis reti clauditur, fecit invitus pactum de reddenda Damata Soldano, & esclavis ( seu captivis ) ejus, - pro vera Cruce, & esclavis Christianis Babyloniae, & Damasci. Nos igitur cum aliis nuntiis, de communi legatione totius exercitus Damata adivimus populo civitatis injunctas nobis pactiones ostendentes, quæ episcopo Acconensi, Cancellario ( Regni Siculi Gualterio, Catanensi episcopo ) & Henrico comiti de Malta, quos ibidem invenimus, plurimū displicebant. Voluerunt enim civitatem defendere, quòd nos multū approbaremus, si utiliter fieri potuisset. ] Hâc igitur temerariâ expeditione Pelusium, quod tantâ sui nominis gloriâ Dux noster Leopoldus impugnare cœperat, reliqui occupaverant, ingenti orbis Christiani dedecore rursus fuit amissum.

IV. Dum hæc in Oriente acciderent, Divus Patriarcha Dominicus sanctissimi æque, ac sapientissimi Ordinis Prædicatorum conditor ad cœlum gaudia migravit; cùm illustrium factorum gloriâ adimplèisset, quæ sive catulus facem ore bajulans, prægnanti matri in somno repræsentatus, sive stella in abluti

sacris

sacris undis parvuli fronte conspicua, olim signis neutiquam obscuris indicâsse videbantur. Encomium illius in ecclesiæ Romanæ fastis pridie Nonas Augusti hac periodo continet : [ Bononiæ S. Dominici Confessoris, Fundatoris ordinis Prædicatorum, viri sanctitate, & doctrinâ clarissimi, qui virginitatem perpetuò illibatam servavit, & ob singularem meritorum gratiam tres mortuos suscitavit ; cùmque prædicatione sua hæreses compressisset, ac plurimos ad religiosam, & piam vitam instituisset, VIII. Idus mensis hujus in pace quievit. Eius tamen festivitas ex constitutione Pauli Papæ IV, hac die celebratur.] Priusquam verò alterum à sanctissimo illius obitu lustrum evolveretur, primum in Styria domicilium, ut posteà memorabimus, religiosa ejusdem familia est assecuta.

V. Inclinante demum anno Ludovicus Dux Boicus ex Oriente rediit, cùm sacrum commilitonem Udalricum II. Pataviensem antistitem, seu castrensis aerumnis, seu animi ægritudine confectum in itinere amississet. Sic etenim Chronicon Augustense, post memoratā superiùs cladem Pelusiacam : [Ludovicus Dux Bavariæ, & Ulricus Pataviensis episcopus, qui eodem anno transfaterant, - fugam arripientes vix evaserunt. Ulricus Pataviensis episcopus in via obiit,

obiit, cui Gebehardus comes de Plain ejusdem ecclesiæ Canonicus succedit. ] Inter illa, quæ Præsulis defuncti memoriam commendant, arx Pataviensis eminet, cuius tertio abhinc anno, adjecto Domūs superioris titulo, fundamenta jecerat. Diepolo Bergensi, & Gisela Diessensi comitibus genitum, Henrici, Theobaldi, & Manegoldi, Pataviensium quondam episcoporum fratrems, & ante suscepitam insulam in Principis nostri aula supremum Ducalis scrinij, ac sigilli præfectum, seu Cancellarium, atque hoc demum anno pridie Kal. Novembr. extinctum Wigulejus Hundius, sed absque ulla vadimonio, in Salisburgensi metropoli asseverat.

VI. Amissæ porro Damiatæ jactura præ cæteris Honorium acerbissimè perculit, quod sacrorum è ditione Pontificia censuum decimas, per reliquam Europam vicesimas, integro triennio collectas, infelici bello frustra impendisset. Augebat mærorem usitata famæ popularis licentia, quæ non tam cunctatori Cæsari, quam conniventi nimium Pontifici res malè gestas improperabat. Expressit ipsemet animi laniati plagas, dum Cæsari ita questus est. [ Ecce novi doloris vulnere sauciamur, clamante contra nos universo populo Christiano, & nobis ruinam præfati exercitus imputante, ac publicis

cis impropertante clamoribus : quod totum orbem confudimus Christianum ; eò quod te, sicut noveras, transire non compulimus in subsidium terræ sanctæ, culpam tuam penitus in nos refundendo. Et utique non prorsus immerito ; quia reverâ, dum tibi nimis detulimus, reliquimus Christianum exercitum sub periculo casus, quem hodie deploramus.] Exinde, cum toties indultas Cæsari postulanti moras prolixius incusasset, simulque actiores ad abolendum dedecus stimulos admovisset, epistolam hac comminatione clausit : [ Illud autem nolumus te latere, quodsi nec Christianæ fidei zelo , nec nostris exhortationibus excitatus, in negotio, quod absit, fueris tepidus memorato, nos tibi non parcemus ulterius , nec saluti nostræ , ac utilitati totius populi Christiani te amplius preferemus ; quin imo te tanquam proprij voti contemptorem excommunicatum solemniter publicabimus, idque per totum orbem Christianum faciemus in confusionem tuam publicè nuntiari. Datum Laterani XIII. Kal. Decembr. Pontificatus nostri anno VI.] Præoccupavit hanc philippicam Cæsar , dum eodem tempore literas tragicò luctu , turgidisque rursum promissis plenas ad Pontificem dedit, quibus se illatam populo Christiano cladem effusis totius Imperij viribus ulturum minatus est ; idque

idque simul obtinuit, ut parens optimus lacrymas abstergeret, séque in novam rursum scenam induci pateretur.

A. 1222. Ad sacerdiendam etenim clade Ägyptiacam Cæsar & Pontifex Anno MCCXXII. mense Aprili Verulis convenere. Quid eo in congressu actum, Honorius Pelagio, sedis Apostolicæ legato, hâc epistolâ declaravit : [Cùm charissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ dudum in animo gereret ad liberationem intendere terræ sanctæ, nunc propter casum, qui accidit, - tantò ferventiùs ad id se præparat, & accingit; quantò ipsum prædicti casus adversitas, & indignatio vehementius animavit. Ideoque nos, & ipse ad id unanimiter intendentes celebre colloquium nuper habuimus, - & demum concorditer disposuimus aliud colloquium in Lombardia in civitate Veronensi circa festum beati Martini proximum celebrare, in quo nos, & ipse Imperator personaliter esse decrevimus, & ad illud Christianos principes, tam ecclesiasticos, quam mundanos, ac fideles alios, quos expedire videbimus, convocare. Cùm igitur ad ipsum colloquium invitamus charissimum nostrum in Christo filium Joannem Regem Hierosolymitanum illustrem, & in eo habere tuam quoquè præsentiam affitemus,

Et emus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus: quatenus - ad illud personaliter venire cures termino supra scripto. - Id autem fraternitati tuæ volumus esse notum: quod ipse Imperator publicè in conspectu multitudinis prælatorum, principum, & baronum, ac aliorum, qui ad colloquium ipsum convenerant, manu propria, & spontanea voluntate juravit, quod iter transfrestandi arripiet termino, quem sibi, seu in colloquio apud Veronam, ut diximus, celebrando, seu circa tempus, quo colloquium ipsum celebrandum est, duxerimus præfigendum. Datum Verulis VII. Kalend. Maij Pontif. nostri anno VI. } Etsi verò ad hæc comitia Germaniæ Principes fuissent evocati, hos tamen postea Fridericus usitata sibi cunctatione delusit.

II. Magis urgebat Cæsar, ut designatus ante bennium successor Imperij, cuius electionem Honorius approbaverat, Germaniæ Rex inungeretur. Expeditis igitur ad Septem-viros mandatis, ut Godefridus annalista memorat, [Henricus VII. Filius Friderici Imperatoris, adhuc puer, consecratus est in Regem Aquisgrani ab Engelberto Coloniensi Archi-Episcopo, dominicâ ante Ascensionem Domini, scilicet VIII. Idus Maij.] Publicam hujus inaugurationis lætitiam, haud magno temporis intervallo cor-

rupit funebris è Sicilia nuntius , qui Constantiam Augustam ultimū vixisse retulit. Alphonso Aragonio , & Beatrice Mauriene genitam Rodericus Toletanus asseverat. Primi verò nuptiis Emerico Hungariæ Regi junctam , tum conjugè , filiōque Ladislao orbatam , & demum Friderico nondum Cæsari , cui unicum Henricum peperit , fuisse traditam , jam antea narratum est. Supremam illi diem Thomas Fazellus III. Kal. Junias attribuit , etsi postea sibi discors æream è sepulchro Panormitanò laminam adducat : [ Hoc est corpus Dominæ Constantiæ Illustris Romanorum Imperatricis semper Augustæ & Reginæ Siciliæ , uxoris Domini Imperatoris Friderici , & filiæ Regis Aragonum. Obiit autem anno Incarn. Dom. MCCXXII. XXIII. Junij , Indictione X. in civitate Cataniæ . ]

III Sequentे autumno plerique Germaniæ principes Veronam adivere , ut decretis à Cælare comitiis interessent. Profectum eò pariter Leopoldum , etsi veteres scriptores sileant , ratio persuadet ; vi cuius Pontifex eos potissimum evocari voluit , quibus litora , & arma barbara perspecta jam essent. Delusit amplissimum Imperij senatum Cæsar , ut Chronicon Voraviense hâc periodo testatur : [ Imperator curiam cum principibus Teutonicis atque Italicis celebrandam in fe-  
sto

sto sancti Martini indixerat ; ad quam cum plures convenissent adventum Imperatoris expectantes, ipse alii negotiis præpeditus in Sicilia remansit.] Reversus igitur ex Italia Leopoldus, cùm lectissimos hospites secum deduxisset ; sive sub anni præsentis exitum , sive sequentis initium splendissimo apparatu epithalamia peregit. Sic etenim ad præsentem epocham Australe Chronicon : [ Magna solennitas Viennæ auctore Duce Lupoldo , cuius filia Duci Saxonum nuptiali thalamo copulatur,] Garstense verò ad sequentem : [ Albertus Dux Saxoniæ filiam Leupoldi Ducis Austriæ , & Styriæ Agnetem duxit uxorem. ] Erat Agnes testante Enenckelio primogenita Principis nostri filia ; Albertus verò asseverante Stadensi, natu minor Bernardi quondam Saxoniæ Ducis filius , qui tamen sive ultimâ Parentis voluntate , sive ultroneâ Henrici fratris Ascaniæ comitis cessione , electoralem natus est dignitatem.

*A. 1223.* Inter hæc continuato à Nascientis Redemptoris festo ultra Epiphaniæ solemnia ferali terræ motu percussam Anno MCCXXIII. Italiam fuisse Godefridus Coloniensis anticipatâ licet temporis characteristicâ recenset. [ In Longobardia talis terræ motus fuit, ipso die Natalis Domini per duas hebdomadas quotidie bis perdurans, ut in pluribus locis ædificia , & ecclesias everteret,

homines cum sacerdotibus opprimeret, Brixiā quoque civitatem fere totam cum populo obrueret, rupes de montibus evelleret, castra deiiceret, & sic inauditas calamitates, & miserias perpetraret. ] Minus terroris, atque discriminis prodigiosus imber Romanis intulit, dum eodem teste, [ terra mixta sanguine visa est de nubibus pluere.] Id porro mense Martio evenisse ē chronicō Alberici discimus. [ Romæ per unum diem pluit terra rubea, quasi languinolenta in hebdomada illa, quæ fuit ante *Lætare Jerusalem*,] videlicet ante IV. Nonas Apriles, in quem ea Dominica tunc inciderat. Eodem fors tempore haud absimile in hac provincia meteorum contigit, de quo breviter Australe Chronicō: [ Nix ninxit in Styria, quæ versa est in sanguinem.] Hoc nempe ludibrio fallebant oculos rubēs telluris pulveres, qui sive antea in altum evecti, sive postmodum aspersi, dum floccos liquefactos tingerent, haud dispari colore cruentam velut undam mentiebantur.

II. Portentum ejusmodi, quod Roma vetus hostiis majoribus expiare consueverat, haud morabatur Pontificem, quò minus sub idem tempus oppidum Ferentinum pateret, ibidēmque cum Friderico Cæsare, Joanne Solymorum Rege, & equestrium ordinum magistris, aliisque magnatibus de sacro

sacro bello ageret. Grandia verbis, sed rebus inania senatus - consulta, Cæsar Augustâ manu roboravit; ut falso iterum gaudio delibutus Pontifex Philippo Galliarum Regi sequentia perscripserit: [ - Charissimus in Christo filios noster Fridericus, illustris Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ, omissis multis, arduisque negotiis, quorum onus honorē Imperialis celsitudinis sequebatur; venit ad nos in Campaniam, ibique præsentibus venerabili fratre nostro Patriarcha, & charissimo in Christo filio nostro Joanne illustri Rege Hierosolymitano, Bethlehemita episcopo, magistro Hospitalis, præceptore Templi, & magistro domus Teutonicorum, ac aliis, - idem Imperator ad nostrum beneplacitum, & consilium prædictorum, transfretandi terminum in festo sancti Joannis Baptistæ post bieñium proximo secuturo promptâ voluntate suscepit, corporale super hoc exhibens sponteñus juramentum. Denique, ut ad id plenius suum manifestaret affectum, & plus fidei daretur negotio, ac omnino suspicionis contrariae scrupulus tolleretur; ad instantiam Patriarchæ prædicti, & aliorum orientalium, in nostra, & fratrum nostrorum præsentia, & multitudinis hominum, qui ad colloquium venerant, se ducturum in uxorem legitimam, filiam Regis ejusdem, juris-

jurandi religione firmavit. Sanè probabili præsumptione tenemus, quòd à Domino factum est istud; ut votis fidelium optatæ rei successum exolvat, quos præconceptæ spei præludia promiserunt. - Datum Laterani, ] ut Spondanus addit, [ III. Idus Aprilis, Pontificatus nostri anno VII. ]

III. Hæc eadem cùm præter alios principes Leopoldo Duci Honorius indicasset, multis eum verbis cohortatus est: ut ob compertam in bello Ægyptiaco fortitudinem rursus arma caperet, & junctis utriusque provinciæ labaris Cæsareas in orientem aquilas comitaretur. Legeremus epistolam, si hanc Odoricus Raynaldus solummodò insinuâsse contentus, è tabulario Romano descripsisset. At Leopoldus, qui Cæsaris cunctatoris animum haud obiter inspexerat, et si promptum se ostenderet, sacræ tamen militiæ tessera abstinendum censuit; aliunde haud ignarus, etiam citra religionem voti, quo vincitus teneretur, apertam sibi ad laureas semitam superesse. Adultâ postmodum æstate Princeps Henrico patruo, in nemorosa Divæ Crucis basilica exequias persolvit. De hoc etenim funebris ejusdem asceterij catalogus ita sonat. [ Anno Domini MCCXXIII. pridie Kalend. Septembr. obiit Dux Henricus de Medlico. Iste fuit similiter filius Henrici fundatoris Scotorum

Vien-

Viennæ.] Conjugem illi Richsam Watzlai (sive Uladislai) Regis Bohemorum filiam anno sæculi præcedentis nono, & septuagesimo ductam, præcoci tamen fato rursus anno secundo & octuagesimo raptam chronicum Zwetlense tribuit. An secundis illi votis quoque juncta fuerit, quam in eodem Cistercio marmor sepulchrale tegit, extincta [XIII. Kalend. Maij Gertrudis de Brounswich, Ducissa Austriæ,] an potius Henrico filio, quem teste Enenchelio ditiosis hæredem reliquit, an demum Friderico dein Austriæ, Styriæque Duci adscribenda sit, nondum satis competum est.

IV. At archymista noster Eberhardus, dum assistente Seccoviensi Antistite Laventinum in Carinthia templum, quod prætulari cathedra exornare decreverat, accuratiùs perlustrat, illustria beatorum Martyrum lipsana detexit. Inventionem hanc posterorum memoriarum Henricus Stero consignavit: [Corpora sanctorum Viti, & Modesti ab Archi-Episcopo Eberhardo, & Carolo Seccoviensi episcopo in ecclesia sancti Andreæ apud Lavent inventa, & in altari recondita plurimis cœperunt coruscare miraculis, & eorum reliquiae ad ecclesiam Salzburgensem præsentibus Pataviense, & Kyemense episcopis cum frequencia, & tripudio populi ab Archi-Episcopo sunt translatæ.] Utriusque Divi brachium

argento inclusum sacri gazophylacij index memorat, quem Salisburgenses historiographi, eruditæ & quæ ac religiosi fratres Mezgeri evulgârunt.

V. Excepit sub anni finem Leopoldus profugum ex Hungaria Belam, Andreæ regis filium, qui patris ferocientis iram tutiori asylo haud poterat declinare. Impio parentis jussu conjugem Mariam, Theodori Lascaris, Græcorum Cæsarum, filiam è thalamo dimittere coactus erat, quam ipsemet Andreas Hierosolyma reverlus secum adduxerat. Id porrò facinus regni antistites summo Pontifici hisce literis, ab Odorico recitatis, detulerant: [-] Vestræ significantum duximus Sanctitati, quod cum Dominus noster Rex Ungarorum de partibus ultramarinis rediens per terram nobilis viri Laschari transitum faceret, filiam ejusdem filio suo primogenito Belæ illustri, jam in regem coronato, & in regni gubernacula post se, DEO propitio successuro desponsavit. Eandem etiam, ut nurum decet regiam, secum in terram adducens, filio suo memorato tradidit in uxorem, ipsam omni solemnitate adhibita in reginam Ungariæ coronari faciens, & inungi; cui supradictus Bela illustris cum omni dilectione, & tranquillitate in ætate legitima jam existens cohabitavit per totum biennium, & amplius,

sicut

sicut maritus. Nunc autem quorundam malevolis suggestionibus perversorum vir legitimam - in totius regni scandalum, & subversionem religionis Christianæ dimisit uxorem. - Quapropter Sanctitas vestra taliter in hac parte providere dignetur, nè inferiores quique, qui majorum debent informari exemplo, perditione simili corruptantur, nobis, & legato vestro mandantes, quid super hoc nobis extiterit faciendum.] Mandavit auditâ querelâ Pontifex: ut Mariam Bela reciperet, thalamique conjugalis fœdera observaret. At instaurato connubio indignatus parens, sœvis adeò minis exagitavit filium, ut hic relicto demum regno ad Leopoldum elaberetur.

A. 1224. Laudavit eam Principis in regem fugitivum benevolentiam Anno MCCXXIV. Pontifex, simûlque Archi- Episcopo Colocensi, cæterisque prælatis sequentia perscrispit: [Cùm charissimus in Christo filius noster Rex Bela, primogenitus charissimi in Christo filij nostri Andreæ Regis Ungariæ illustris gravem pro eo, quod uxorem suam ad mandatum nostrum recepit, persecutio nem iustineat, coactus ex hoc in terram nobilis viri Ducis Austriae se transferre; fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus prædicto nato Regis ejus-

dem, cui meritò tenemur adesse, vestrum ei exhibendo favorem pleniùs assistatis, monitis apud patrem ipsius, & exhortationibus insistentes ac consulentes eidem, ut sibi malitiosum se non exhibeat, vel infestum, nec ad se redire compellat eundem; sed in regno suo, ubi cum ejus uxore, ac suis, sicut regium decet hæredem, honestè valeat commorari, redditus ei certos assignet, ipsos etiam, qui cum ipso morantur, nequaquam in personis, vel rebus offendat.  
- Datum Laterani VIII. Kal. Martij Pontificatus nostri anno VIII.]

II. Vix hasce literas Honorius dederat, cùm solium Pontificium adivere legati, qui regij parentis factum exusarent, opemque supplices deposcerent: nequod ob filium profugum à Leopoldo, vicinisque principibus regno Hungariæ bellum moveretur. Securum esse jussit Andream Pontifex, dummodo Belam in regnum admitteret, ac patriâ rursum benevolentia foveret. Hanc porro ut efficaciùs persuaderet, epistolam sequenti parænesi conclusit: [Excellentiam Regiam monemus, & hortamur attentè: quatenus eundem natum tuum, qui ad tempus non tuâ tamen dicitur culpâ cessisse, sicut tanti Regis decet filium, & hæredem, benignè ac honestè studeas pertractare, cùm, si secus fieret, nonnulli putarent displicuisse tibi,

tibi, quòd idem filius tuus circa uxoris suæ receptionem mandatis apostolicis obedivit. Datum Laterani IV. Idus Martij Pontificatus nostri anno VIII.] Reparatâ igitur concordiâ in Hungariam Bela rediit, sed infestis olim frameis in Austria, Styriamque revertens.

III. Cæsar interim gesto per legatos bello Saracenos, qui Siciliæ montana tenebant, vagisque latrociniis insulam percursabant, in eas angustias redegerat, ut veniam flagitarent, séque jussa facturos pollicerentur. Impedimentum id erat, nè Germaniam Fridericus peteret, habitisque comitiis principes, præsertim Leopoldum Ducem nostrum, & Ludovicum Thuringiæ toparcham, ad socialia in orientem arma invitaret. Ergo munus istud equitum Teutonicorum magistro imposuit, prout ipse met summo Pontifici sequentibus insinuavit : [Hermanus domus Teutonicorum magister ad præsentiam nostram accedens proposuit, & persuasit instanter : quòd de consilio vestro erat, - ut pro tam arduo negotio terræ sanctæ cum principibus Imperij orétenus loquemur, versus partes illas nos personaliter conferentes. Quod dum proposito nostro resedisset, & in precinctu essemus versus partes illas dirigendi iter nostrum, venit marshalcus noster Cathaniensis, qui fuerat

in expugnatione Saracenorum Siciliæ constitutus, ducens secum de omnibus montanis nuntios, - ad nostram præsentiam destinatos, per quos ceteri omnes exposuerunt, se mandata, & beneplacita nostra protinus impleturos. Super quo habitâ deliberatione cum proceribus curiæ nostræ, quid videretur agendum, visum est omnibus consultius expedire: quod non deberemus in hoc articulo præsentiam nostram de Siciliæ partibus absentare; - sed præmitteremus magistrum ad principes, propositum, & voluntatem nostram per eum singulis exponentes. Propter quod eundem magistrum de tam arduo negotio utile vidimus onerandum, injungentes ei legationem ad principes faciendam, scribentes & promittentes per eum Duci Austriae, Landgravio Thuringiæ, ac cæteris principibus nominatim, nec non Regi Hungariæ, ac suis magnatibus ad terræ sanctæ subsidium transiit, passagium, victum, pecuniam, & alia necessaria in regno nostro liberaliter exhibenda; prout idem magister, quem ad vestram prius præsentiam destinamus, proponet in conspectu vestro singula singillatim. - Datum Cathanæ V. die Martij, Indictione XII. ]

IV. Approbavit non solum eos conatus Pontifex, sed hisce promovendis suum pariter legatum addidit, qui bellicâ crucis testera

serâ principes insigniret. De hoc Godefri-  
dus annalista : [ Conradus Portuensis epi-  
scopus, & sanctæ Rufinæ Cardinalis à sede  
Apostolica pro utilitate terræ sanctæ in Teu-  
toniam mittitur, & sextâ feriâ post Pente-  
costen, Coloniæ cum honore fulcitur. ]  
Neque hâc singulari legatione contentus  
Antistes maximus, etiam Bertholdum Aqui-  
lejæ Patriarcham, & Eberhardum Salisbur-  
gensem archimystam, cæterosque Imperij  
Germanici præfules monuit: ut sacris præ-  
conibus auxilio, præfidiisque essent, qui  
bellatrices populi Christiani dexteras ad ar-  
ma inflammarent. Fungebantur hi strenue  
imposito sibi munere, quamvis teste Albe-  
rico [ mortalitas animalium maxima è par-  
tibus orientis per Græciam, ] Hungariam  
que propagata in Germaniam penetraverit.  
Hanc verò ingenti colonorum, & rei agrariæ  
detrimento per has defæviisse provincias Vo-  
raviense Chronicon ad annum præsentem  
notat. [ Pestilentia animalium per totam  
Austriam, & Marchiam, & Carinthiam gra-  
vissima facta est. ] Accesserat insolitus cœli  
hybernantis rigor, de quo Godefridus Co-  
loniensis queritur : [ Erat hyems longissima,  
& asperima, - fames etiam magna, & inau-  
dita per biennium perdurans, ] quam ex illâ  
pecorum strage, aërisque inclemens or-  
tam fuisse, mirum non est.

A. 1225. Prosperis deinde velis Anno MCCXXV. è Syria in Italiam advecta ap-  
pulit, quæ Cæsari Augusto dudum desponsa  
erat, Joannis Solymotū Regis filia, editis per  
litora publicæ lætitiæ signis salutata. Eandē  
plerique recentiorum cum Alberico Jolan-  
tham, aut Jolem appellatam scribunt, alij  
cum monacho Paduano Isabellam vocant.  
Etsi verò in dotem Hierosolymæ coronam  
secum attulisset, fatali tamen cunctatione  
Cæsar ad vindicandum è barbara servitute  
regnū rursus obtorpidus, ut nihil præter fæmi-  
nam, novosque titulos quæsivisse videretur.  
Auctorat⁹ jam erat, per universā Germaniam  
fortissimus exercitus, Asiānque votis cupi-  
dissimis anhelaverat; sed Imperator frigida  
rursus obstacula commentus, quæ inter me-  
tus Longobardicæ rebellionis præcipuum  
videbatur, repetiti toties jurisjurandi vin-  
cula à supremo Christi vicario in alterum  
biennium petiit relaxari. Rejecisset frivola  
postulata Pontifex, nisi Rex Joannes, qui  
generi Augusti oratorem egerat has indu-  
cias impetrâisset. Missis igitur in Apuliam  
Cardinalibus legatis confectæ novæ tabulæ,  
quibus Cæsar [ apud sanctum Germanum  
mense Julio Indictione XIII. ] subscriptis,  
seque ad ducendas mense Augusto tertium  
venturo aquilas, adjecto iterum ferali ana-  
the-

themate devovit, more tamen suo promissa  
neutiquam impleturus.

II. Suspenso igitur bello, alter in Germania Domus Augustae Hymenæus finiente autumno celebratus est. Utrumque Henricus Stero hac narratione junxit : [ Imperator cum filia Joannis Regis Hierosolymitani filia nuptias in Apulia celebravit, ex qua genuit Chunradum postea Regem ; & Henricus filius ejus, Rex declaratus, duxit filiam Lupoldi Ducis Austriæ Margaretam, cum qua præsentibus principibus Regni nuptias apud Nornberg celebravit, ] Hanc siquidem præcæteris. et si regio therogenitis, approbante senatu principum, cui Cæsar id commiserat, simûlque annuente per legatum Pontifice, sibi sponsus delegit. Prensaverant Augusti sanguinis connubium Angliæ, Bohemiæque Reges, sed ambo repulsam accepere. De Britanno, videlicet Henrico III. Godefridus Coloniensis : [ Heinricus Rex curiam habuit Franckinvort, ubi quidam episcopus missus à Rege Angliæ cum cæteris ipsius legatis afferuit, laborans: ut ipse Rex matrimonium contraheret cum sorore Regis Angliæ. Sed cùm talis contractus displicuisset principibus, nec potuisset habere processum, nuntij inæde revertuntur. ] De Bohemo, Primislaō Ottocaro, eujus natam Cæsar filio inter crenaria olim desponderat, Garstense chro-  
nicon :

nicon: [ Rex Heinricus filiâ Bohemi secundum statuta legis repudiata per dispensationem Domini Apostolici, seniori principum potitus consilio, cum filia Ducis Austræ legitime sibi copulata, nuptias Norinberch celebravit. ]

III. Auxit eum pompæ nuptialis apparatus Dux noster Leopoldus, dum eadem in urbe, eodemque tempore Heinricus major natu filius Agnetem, quam perperam aliqui Richardim appellant, Hermanni Thuringiæ Principis filiam in thalamum adscivit, simulque Constantia Leopoldi filia Henrico marchioni Misniæ prodromo conjugij anulo est devincta. Tergemina hæc solemnia, etsi calami amanuensis vitio bis descripta, Australie chronicon Neostadiense memorat: [ Heinricus Rex Romanorum, filius Fidei Imperatoris, duxit in uxorem filiam Ducis Austræ. Heinricus filius Ducis Austræ duxit in uxorem, sororem Lantgravij Thuringiæ, apud Nurenberch. Filio Margravij de Meissen filia jam dicti Ducis est sponsata; ] ut proinde hic annus haud immerito Nuptialis potuerit appellari. Inter ea tamen Hymenæi festa etiam Bellonæ litatum est, dum perhibente Augustensi chronico, [ Leupoldus Dux Austræ consensu Ludovici Ducis Bavariæ construxit castrum in Scherding, ] ad Oeni fluenta situm, quod Prin-

Principum Bojorum fascibus nunc obtemperat. Promptus hic annutus arguit: aut nondum eo tempore natum, aut certè dissimulatum fuisse illud odium, vi cuius teste Garstensi chronico: [Andreas Rex Hungariæ, & Ludovicus Dux Bavariae cum multis aliis conjurârunt adversùs Ducem Liupoldum.] Exasperaverit fors Regis animum datum anteà filio profugo asylum; quod insuam redundâsse contumeliam Parens existimabat. An etiam clandestino sibi fœdere Ducem Boicum sociaverit, an hic aliis de causis Leopoldo infensus fuerit: ecquis sat̄is divinabit?

A. 1226. Fuere nihilominus Anno MCCXXVI. instaurata rursus epithalamia, dum memorante Australi chronico [Fridericus filius Ducis Austriae in Brunswick nuptias celebravit.] Quænam verò hæc sponsa, ob diffusiones, & obscuras veterum annaliū voces perquam ægrè licet hariolari. Quod si etenim spectetur nuptiarū locus, haud aliam, quam sanguinis Brunsicensis principem Friderico junctam, ut nonnulli recentiores autumant, dicere oportebit. Et verò his eadem Gertrudis illa fuisse videtur, cuius ad annum vicesimum tertium sepulchrale marmor exhibitum est. At discrepat Augustense chronicon, quod ita loquitur: [Fridericus junior filius Ducis (Leopoldi) duxit sororrem

rem Reginæ Hungariæ,] adeoque vel Latino,  
vel Græco Cæsarum stemmate prognatam.  
**A**ndreas siquidem hoc tempore Jolem Petri  
Byzantini filiam, Bela Mariam Theodori La-  
scaris natam, conjuges habebant. Hinc jux-  
ta genuinam Alberici sententiam, superius  
anno secundo allegatam, vi cuius de Leo-  
poldi Ducis consorte Theodora loqui non  
poterat, Friderico Anonyma Mariæ soror,  
adscribenda erit. Posset fors utraque com-  
binari sententia, si quis Brunsvicensem ce-  
leri morte raptam, eidēmque Græcam con-  
jugem fingeret subrogatam. Cūm verò ge-  
minatum hujus anni Hymenæum scriptores  
coævi taceant, magis ea conjectura placet:  
in Australe Chronicon vocem Brunswick  
aberrante calamo loco Bresburch irrepsisse;  
ut proinde hæc solemnia cum Mariæ Hun-  
garicæ sorore, Andrea Rege non solum pla-  
cato, sed insuper novæ nuptæ parentem  
agente, Posonij fuerint celebrata. Sic eter-  
nū & Alberico sua stabit authoritas, quā  
stemmata plerūmque accuratè notat, & simul  
subsequentia magis cohærebunt. Quidquid  
interim dixerimus, connubium istud haud  
quaquam fuisse stabile postmodum audie-  
mus.

II. Interea prout chronicon Australe me-  
morat: [Fridericus Romanorum Imperator  
prælatis ecclesiæ, & principibus regni pro-  
nego-

negotio sanctæ Crucis curiam apud Cremonam indixit. Longobardi verò timentes Imperatoris insidias, viam ubique inter montana venientibus obstruxerunt.] Hinc Rhæticas inter alpes plerosq; irrito hæsisce conatu Godefridus Coloniensis asserit. [ Multi principes Teutonici cum filio Imperatoris Rege Heinrico apud Tridentum per sex hebdomadas commorantur, non valentes progredi propter rebellionem Veronensium, qui clufas obtinuerunt. Quidam autem principes de Saxonia aliâ viâ per Austriam sunt ad Imperatorem ingressi. Rex autem à Tridento non viso Imperatore cum principibus in Alemanniam inacte revertitur, in quorum discessu Tridentum civitas casuali incendio concrematur.] An verò Leopoldus Albertum Saxonem, an potius Henricum Regem, quos generos habebat, comitatus fuerit, incertum est.

III. Ea tamen Principis nostri absentia nefario sceleri occasionem præbuit, quâ plusquam degener filius adversum parentes surrexit. Nam sive Henricus Toparcha Medlicensis, Henrici Ducis I. è filio Henrico nepos, Enenckelio teste improlis, jam deceperit; sive illo etiamnum superstite sibi aliam dynastiam infrunitus adolescens ambiverit: hoc eodem tempore, ut chronicon Augustense notat, [inter Leopoldum Duce-

Austriæ, & Hainricum filium suum majorem guerra est orta super hæreditate. ] Nec dererant, qui exulceratum acceptâ repulsâ Juvenem furialibus urgerent stimulis, cùmque ad immane facinus inflamarent. Exponit illud Australe chronicon, quod isthinc audiendum est. [ Heinricus filius Duciis Austriæ consilio, & auxilio quorundam iniquorum opposuit se patri suo, atque castrum Haimburch præoccupavit, matrem suam inde satîs contumeliosè ejiciens. ] Coacta fuit impionato Theodora cedere, quæ sœvam adeò violentiam aut non præviderat, aut repellere non poterat. Sed redux ab Italia princeps [ castrum in brevi recepit. ] Etsi verò sceleris patrati veniam Henricus accepisset, in pristinas denuò relapsus furias [ viræ patris sui multis modis insidiatus est; sed tamen DEO se protegente evasit manus ejus,] propè supra illius ævi principum exempla mitis parens Leopoldus.

IV. Autumno inchoante non tam mortalibus excessit, quām arctius cum superis, quēis dudum assueverat, vivere cœpit sanctissimus ordinis Seraphici conditor; cùm prodromum æternæ felicitatis pignus per impressa Redemptoris patientis stigmata præcedenti anno accepisset. Ephemerides Romanæ gloriosam illius memoriam IV. Nonas Octobris ita recolunt: [ Assisij in Umbria

bria natalis sancti Francisci Confessoris, fundatoris ordinis Minorum, cuius vitam sanctitate, & miraculis plenam S. Bonaventura conscripsit.] Neque enim digniori calamo, quam illius consignari poterat, qui postmodum è magni Patriarchæ discipulo inter senatum Vaticanum receptus Seraphici Doctoris nomen assecutus est. At sanctissima illius familia, cum orbem Christianum inter ipsa statim initia virtutum famâ replevisset, etiamnum in terris vivente Francisco, ut domesticos inter scriptores Gonzaga notat, binâ per Styriam asceteria obtinuit. Horum alterum Græcij ad portam Muranam ab assumptione in cœlum Deiparæ patrocinio religiosorum patrum cœtus incolit; alterum sacræ virginis sub Divæ Claræ instituto ad urbis Judenburgensis pedem inhabitant, eique primitivum Paradisi nomen innocuâ mortuum sanctimoniam tuentur. Ingruente paulatim hyeme ex Styriæ Prælatis mortalium curarum satur, ut chronicon domesticum notat, [ Gotfridus Abbas Admontensis (hujus nominis II.) abbatiam resignavit VIII. Idus Decembris, & tertia die Wichpoto electus subrogatur.] At Runensium Abbas Engelbertus, ex illustri comitum Helfensteiniorum stemmate ortus, ob insignem in regimine prudentiam, ac vigilantiam, ad Eboracensis in Franconia Cistercij, unde primas in Sty-

xiam colonias Gerlacus deduxerat, magistratum evocatus est. Successorem habuit Ludovicum, qui septimum ordine antistitem egit.

V. Cæterū huic anno, prout industrius rerum Bohemicarum scriptor, Bohuslaus Balbinus, in epitome observat, adscribenda veniunt cœlestium favorum primitiæ, quibus augustum DEI Genitricis simulacrum in Mariana Styriæ superioris Cella cœpit effulgere. Placuit enim verò divinæ providentiæ, ut Palladium istud, quod ab ultimo sæculi præcedentis anno hucusque solam, profundas intra montium latebras, plebem rusticum cultricem habuit, præeunte Henrico Moravo, vel magis Divo Bohemiæ Duce Wenceslao supplices quoquè Principes imposterum fortiretur. Prodigij hujus seriem jam alibi laudatus, coenobij San-Lambertini Prior quondam meritissimus, Christophorus Jager in Synoptica rerum Cellensium narratione recenset. [ Henricum Moraviæ marchionem, ejusque conjugem Agnetem, ab aliis Cunegundam, fortè utroque nomine dictam, Henrici Ducis Austricæ à Medling appellati filiam, è paralysi penè triennio laborantes, per sanctum Wenceslaum quondam Bohemiæ Ducem, cuius in fastis ecclesiasticis ad IV. Kal. Octobris anniversaria memoria recolitur, per somnum illis

illis apparentem admonuit : ut sanitatem  
è Cella Beatæ Mariæ , voto piam illuc pere-  
grinationem instituendi factō peterent. So-  
mnio fides ex paralysi protinus ablata con-  
stitit , itérque cum famulitio bene numeroſo  
ingressi pij conjuges , cùm à via errabundi de-  
flexiſſent , eodem S. Wenceslao , vel Ange-  
lo sub ſpecie peregrini reducente , Cellen-  
ſem vallem tenuerunt ; ubi gratiis debitè per-  
actis , & sacrâ cellulâ in justam templi for-  
mam ſuis impensis mutatâ , reverſi famam  
tam prodigioſi beneficij per omnes illico re-  
giones ſparſerunt , cultumque Cellensem in  
Ungaria , Bohemia , Austria , Styria , aliisque  
longè jacentium populum locis excive-  
runt. Habentur hæc omnia monumentis  
fide dignissimis testata , cui per antiqua de-  
marmore tabula in ipsius Cellensis ecclesiæ  
propylæo , hodiéque vilenda ſuffragatur , ]  
adjectâ epigraphe : [ sanctus Wenceslaus  
marchionem Moraviæ , ejusque uxorem à  
paralysis ægritudine diu fatigatos indicat li-  
berandos . ] Hæc scriptor Marianus .

A. 1227. Civili bello interim arſiſſet Ita-  
lia , nī Pontifex glſcentem inter Fridericum  
Augustum , & foederatas Longobardiaæ ci-  
vitates , discordiam ſopiviffet . Pacis arbi-  
trum pars utraque de legit ; ideoque Hono-  
rius Laterani , Anno MCCXXVII. Nonis  
Januarij , pontificatū anno XI. recitatas ab

Odorico Raynaldo leges statuit, quibus Cæsari ob impedita per Veronenses, cæterosque conjuratos, Imperij comitia satisficeret, hic verò vicissim spretæ majestatis injuriam condonaret. Multa fuit: ut milites quadrungentos ad bellum Asiaticum mitterent, siisdemque integro biennio stipendia præberent. Non tamen à Cæsare Pontifex impetrare potuit, ut regni lacinias, quas socero Joanni Hierosolymæ Principi extorserat, eidem restitueret. Nè igitur exauctioratus Rex necessariis vitæ subsidiis careret, eidem Honorius nonnullas Italiæ regiones, Prætoris Vaticani potestate, gubernandas tradidit. Stabilitâ cum Longobardis pace ad matranda in Orientem arma Germaniæ principes fuere invitati. Sed inter eos conatus, prout Albericus accurate notat, [XV. Kal. Aprilis, hoc est, quinta feriâ ante: *Lætare Jerusalem* Dominus Papa Honorius III. decessit.] Inter reliquas virtutes, quibus orbem Christianum texerat, incredibilis illa mansuetudo eminet, vi cuius præcipue Fridericum Augustum, etsi toties ab eo delusus, & laceratus, paternâ tamen benevolentia semper complexus est. Debet illius, post Eberhardum Fundatorem, benigno penitus favori Ducatus Styriæ, quod celsissimâ episcopatûs Seccoviensis infulâ sit exornatus.

II. Mitissimo Pontifice, ut Martinus Polonus ait, [ in ecclesia B. Mariæ majoris ] postridie sepulto, unanimi Patrum calculo [ Hugolinus Ostiensis episcopus in Papam electus, Gregorius IX. est appellatus. ] Quamprimum verò XII. Kal. Aprilis, in quam Dominica superiùs memorata incidet, tiarâ Pontificiâ coronatus est, præter usitatas ad sacros antistites, principesque Christianos encyclicas, peculiariter Fridericum Augustum ad promovendas in Asiam aquilas hisce verbis inflammare conatus est.

[ - De honore tuo, ac salute solliciti, quia te, dum essemus in minori officio constituti, habuimus in visceribus charitatis, ac tuis profectibus aspiravimus; sublimitati tuæ primicias nostrorum literarum duximus destinandas, celsitudinem tuam rogantes attentiùs, & monentes in Domino, in remissionem peccaminum tibi injungendo: quatenus in devotione sedis Apostolicæ firmiter perseverans, - sollicito & efficaci studio peragere satagas negotium terræ sanctæ, & te viriliter ac potenter in instanti passagio ad ejus succursum accingas, in manu forti, & brachio extento ad præliandum de corde puro, & fide non fictâ prælia Domini transfretando; quod ab eo consequi merearis immarcescibilis gloriæ diadema, & nos, qui te sinceritatis brachiis amplexamur, ad ea quæ respi-

ciunt tuum commodum, & honorem, ex hoc fortius accendamur. Alioquin quantumcunque te sincerâ diligamus in Domino charitate, & tibi quantum cum DEO possumus, deferre velimus, id dissimulare nulla poterimus ratione. - Datum Laterani X. Kal. April. Pontif. nostri anno I. ] Neque frustra isthinc fidem non fictam inculcavit Friderico Gregorius, quod frequenti legatione genium ejusdem haberet exploratum.

III. At principis nostri filia, Cæsarisque nurus Margarita hoco eodem mense, & quidem octavâ post die, quâ Romanas infulas Gregorius suscepserat, regio liquore uncta, & Germano diademate insignita est. Meminit amplissimæ hujus pompæ, cui Leopoldus ipse met cum plerisque principibus aderat, Godefridus Coloniensis, dum ita scribit: [ Henricus Rex filius Friderici Imperatoris Aquasgrani veniens, celeberrimam curiam cum nobilibus totius Teutoniae habuit dominicâ Judica me; inter quos præcipui erant Salzburgensis, Mogontiensis, Trevirensis, & Coloniensis Archi-Episcopi; Austriæ, Bavariæ, Carinthiæ, Brabantia, & Lotharingiæ Duces; Lantgravius ( Thuringiæ ) Ferrandus comes Flandriæ, qui per duodecim annos Parisiis in captivitate à Rege Franciæ detentus fuerat, & priori anno absolitus. Ibi etiam convenerunt alij quidam plu-

plures episcopi, & comites, & totius Teutoniæ nobiles, ubi à Coloniensi Archi-Episcopo Heinrico, uxor ipsius Regis, filia Ducis Austriæ, regali benedictione consecrata, & coronata in sede regia collocatur. ] At hæc eadem regiæ inaugurationis dies, quæ dominica Passionis erat, calamitates illas prænuntiare videbatur, vi quarum aureæ coronæ radij in cruentas demum spinas abi-  
vère.

IV. Ineunte postmodùm æstate principes, qui crucis tesserâ auctorati erant, sacras legiones in Apuliam deduxere, ut bellum Asiaticum aggrederentur. An quoque Dux noster Leopoldus eò profectus sit, nondum liquet. Ferali tamen cunctatione Cæsar, et si devotum ultro diris caput, iterum subtraxit, ideoque florentissimum Europæ exercitum inter eos calores detentum funestæ cladi objecit. Insinuat ista breviter Godefridus Coloniensis. [ Electa expeditio cruce signatorum ab omnibus mundi partibus mota cassatur, & dissipatur; Friderico Imperatore, sicut dudum promiserat, non transfretante.] At paulò fusiùs Augustense Chronicon. [ Magnæ copiæ cruce signatorum ad mandatum, & exhortationem Domini Papæ iter peregrinationis arripuerunt; sed circa maritima magna pars ipsorum mortua est, inter quos (Sifridus) Augustensis epi-

scopus, & Ludovicus maritus sanctæ Elisabeth, Lantgravius Thuringiæ cum aliis nobilibus obierunt. Reliqua pars credens Dominum Imperatorem transfretaturum, mare transivit; Imperatore verò remanente fere omnis illa peregrinatio rediit. Dominus Papa Imperatorem, quod votum peregrinationis non solveret, excommunicatum solemniter denunciavit.]

V. Neque enim diutiùs Pontifex connivendum censuit; sed Fridericum illo anathemate, quo semetipsum antea devinxerat, obstrictum esse, festivâ Principis Archangelorum die pronuntiato è cathedra horrendo carmine declaravit. Prolixis facti rationem literis Gregorius reddidit, è quibus sequentia audire sufficit. [Cùm ad ejus instantiam multa cruce signatorum millia per excommunicationis sententiam coarctata in termino destinato ad portum Brundusij properassent; - ipse omnium promissorum, quæ Apostolicæ sedi, & cruce signatis per literas suas fecerat de sponsione passagij, necessariorum, & viatús, ac suæ salutis im memor, tamdiu in æstivi fervoris incendio, in regione mortis, & aëris corruptelâ detinuit exercitum christianum, quod non solum magna pars plebis, verum etiam non modica multitudo nobilium & magnatum pestilentia, sitis ariditate, ardoris incendio, ac multis

tis incommoditatibus expiravit. - Sanè reliqui vix Imperatoris obtentâ licentiâ, licet galeæ, calendræ, ac naves sufficientes ad transitum victualium, hominum, & equorum, ut promiserat, non adessent; in festo tamen Nativitatis B. Virginis sulcate maria inchoarunt, se pro nomine IESU Christi discrimini committentes, ac credentes Imperatorem cominùs eorum vestigia secuturum. Idem verò evacuatis promissionibus, - in suum & totius Christianitatis opprobrium retrosum abiit, attractus, & illectus ad consuetas delicias regni sui, abjectionem corporis sui frivolis excusationibus, ut dicitur, gestiens palliare. - Datum Anagniæ VI. Idus Octobris Pontificatus nostri anno I.]

VI. At Imperator ad excusandum facinus, & obtinendam veniam infulatos oratores, quorum primas Archimysta Brundusinus erat, ad aulam Vaticanam misit. Hos verò cùm Pontifex rejecisset, Fridericus ad Imperij principes apologiam dedit, quâ circa juris ordinem se diris addictum fuisse questus est. Imposuit ea Conrado Urspergenfi, ut impudenti calamo supremum violare antistitem non perhorresceret: [Hic tanquam superbus primo anno pontificatus sui coepit excommunicare Fridericum Imperatorem pro causis frivolis & falsis, postposito omni ordine judiciario, sicut idem Imperator

rator in epistolis suis rescripsit principibus Alemanniæ, retexens omnem progressum vitæ suo, & conversationem, & actionem, & innocentiam pro succursu terræ sanctæ.] Ac si verò plus fidei Fridericus in causa propria, quām Christi Vicarius in aliena meruisset. Illud fors nemo inficiabitur: potuisse, quinimo debuisse audiri supplices Cæsaris legatos; nè debitæ à summo antistite in summum principem clementiæ, præcipitis nimium vindictæ ardor præponderâsse videatur. Quemadmodùm verò Cæsarem ob proditam rem Christianam Gregorius perstrinxit, ita vicissim testante Raynaldo, [ad AustriæDucem literas dedit, quibus ipsum ob ardenterem sacræ expeditionis zelum collaudat, atque in fidem suam, & clientelam admittit.] Quòd si has eximius animalista vulgasset, dispicere fors liceret: an Leopoldus alteram crucis tesseram acceperit; an solas ad promovenda magnatum aliorum arma curas impenderit. Eundem penultimo anni mense in Styria fuisse, diploma docet, vi cuius omnia Carthusiæ Gyriensis jura [VII. Idū Novembr. in foro Marchburg,] iteratò complexus est.

A. 1228. In sequente Anno MCCXXVIII. Leopoldus in Italiam contendit, quòd Cæsar ad comitia, etsi rursus intercepta, Principes evocâsset. Sic etenim Urspergensis:

[Im-

[ Imperator condixerat curiam Principum Alemanniæ in quadragesima apud Ravennam ; à qua similiter impeditus fuit nuntius & legationibus Domini Papæ.] Jam etenim intestinis motibus fluctuare cœperat Italia , quod [ Imperator de civibus Romanis potentissimos , & nobilissimos de familia eorum , qui dicuntur Frangentes panem , & de aliis , ad quos præcipue respectum habebat populus Romanus , ] aureo sibi fœdere obstrinxisset . Neque Pontifex suis partibus defuit , sed [ contra ipsos , & Imperatorem excitavit Joannem regem Hierosolymitanum , & Matthæum & Thomam comites , & alios , quos poterat de Tuscia , & Lombardia , multamque pecuniam erogavit militibus , ] ut largis illecti stipendiis ad labara Vaticana attraherentur . Substitit igitur Venetiis Leopoldus , prout è veteri Chronico Salisburgensi discimus . [ Electus Brixinensis in die Palmiarum ( videlicet XIV. Kal. Aprilis ) apud Venetas ab Archi-Episcopo Salzburgensi in episcopum consecratur , præsentibus Archi-Episcopo Magdeburgensi , & Duce Austriæ , qui ad occurrentum Imperatori Italiam intraverant . ]

II. Romæ verò inter proxima Resurgentis Domini solemnia gravis , eaque propemodum cruenta in Pontificem seditio exarsit , quam Chronicon Australē hisce verbis re-

censet. [Papa Gregorius in Cœna Domini Imperatorem Fridericum excommunicatum publicè denunciavit ; unde non parum ipsi Romani perturbati, Papam in secunda feria Paschæ in ecclesia sancti Petri infra missarum solemnia, quæ personaliter celebravit, contumeliis, & blasphemias affidentes ab injectione manuum vix abstinuerunt. Unde Papa in palatium apud sanctum Petrum se recipiens, post aliquot dies urbem exivit, & in Tuscia primò apud Reatem, postmodùm apud Perusium habitavit, ubi habito colloquio principes à fidelitate Imperatoris absolvit.] Neque ferali edicto contentus Pontifex, legatum Vaticanum in Germaniam expedivit, qui Principes ad ejurandum Fridericum impelleret, simûlque Ottонem Dynastam Luneburgicum, Ottonis IV. Cæsar, è fratre Wilhelmo & Helena Danica nepotem ad occupandum imperium hortatur. Cecidere in irritum hæ machinæ, prout Godefridus Coloniensis docet. [Otto Cardinalis de carcere Tulliano legatione accepta in Teutoniam & Daciam (sic Daniam tunc quoquè appellabant) mittitur, cuius intentio erat, Imperatori gravamen procurare, & super hoc consilium expetere Ottonis dicti Ducis de Luneburg ; sed idem Otto contra Imperatorem renuit aliquid attentare.] Sollicitatâ incassum fide principum legatus Leodium

dium civitatem Hazbaniæ veniens, ab Advocato Aquensi & Arnoldo de Gimmenich & aliis fautoribus Imperatoris fugatur, & vix evadens in castro Hoyo recipitur; pro qua injuria sibi illata excommunicationis sententiam in Leodiensem civitatem promulgavit.] Spernebantur hæc fulgetra, ideoque rebus infectis postremò Legatus Germania excessit.

III. Interea Leopoldus in Boicam invitatus equestri ludo interfuit, dum militari baltheo Ducis primogenitus pridie Idus Maij exornaretur. Perquam accurate hæc chronicon Augustense annotavit. ] Otto filius Ducis Bavariæ apud Straubing præsente Rego Heinrico, & multis aliis principibus in festo Pentecostes gladio accingitur, ubi Ullricus primus Lavantinensis episcopus ab Archi-Episcopo consecratur. Isti autem principes interfuerunt: Heinricus Rex filius Friderici Imperatoris, Ludovicus Bavariæ, Leopoldus Austriæ, Bernhardus Carinthiæ, Otto Meraniæ Duces, Heinricus marchio de Andechs. Episcopi: Eberhardus Salzburgensis, Hermannus Würzburgensis, Eckebertus Bambergensis, Gebhardus Pataviensis, Sigefridus Ratisponensis, Siboto Augustensis, Heinricus Eistetensis, Rudigerus Chiemensis, Karo Seniensis, ] quin imo Carolus Seccoviensis. At parum defuit, quin sacra bona

hospitij jura , si qua chronicō Australi fides , nefariâ Principis nostri cæde polluerentur . Nam [ Dux Bavariæ , atque alij multi ex nobilibus per Bavariam Leupoldo Duci Austriæ , & Styriæ insidias mortis parabant , quas tamen per DEI gratiam sine læsione evasit . ] Neque satis apparet odij , cuius supra mentionem fecimus , usque adeò cruenti fomes , nisi fors Ludovicum usserit agnata magnis saepe animis invidia , quâ suum è bello Ægyptiaco dedecus cum Leopoldi gloria confrerebat ; & hanc fors insuper stimulaverit perduellis in parentem filius , qui principum vicinorum auxilia clam solicitabat .

IV. Verùm periit hoc eodem anno infelix adolescens , ut easdem , quas parens mitissimus indulserat , Nemesis divina pœnas exegisse videretur . Differt equidem hoc fatum in sequentem epocham Garstense Chronicō , Australe tamen in plerisque codicibus manu exaratis illud præsenti tribuit . An vitam , quâ longiore dignus non erat , violentâ nece amiserit , dubitare cogimur . Neque enim Augustissimæ Bibliothecæ volumen Austriacum alias , quam hasce voces suggerit : [ Heinricus Leupoldi filius miserè obiit . ] Exulem in Bohemia decessisse recentiores memorant , sed exuvias ejusdem Neoburgensis basilicæ conditorio illatas , Enenckelius asseverat . Crudelis cognomentum , quod

quod illi attentatum parricidium peperit, unā secum tumulo intulit, simūlque annali-  
bus ad detestabilem sui memoriam impressit. Reliquit unicam ex Agneta Thuringica Ger-  
trudim filiam, quae miseris postmodū agi-  
tata casibus in fortis humanæ ludibrium  
evasit.

V. Regiam verò aulam comitatus in Sue-  
viā Leopoldus ab Augusto Genero eam  
prerogativam obtinuit, ut regio posthac  
diadematē ducalis tiara effulgeret. Augu-  
stales porro tabulæ ita sonant: Heinricus  
DEI Gratia Rex Romanorum semper Augu-  
stus. Dignum est nimirum, & consenta-  
neum, possibilibus rogatibus Regiam Maj-  
estate omni tempore annuendo largissimè  
subvenire, ipsosque benigniter adimplere.  
Noverit igitur omnis Christi, nostrique re-  
gni fidelium ætas, & successura posteritas:  
quod Nos principum, quorum juris quem-  
que Romanorum Regem est eligere, bene-  
placito, consilio, & favore omnia jura, gra-  
tias, & libertates, cunctasque bonas con-  
suetudines nobilium terrarum Austriæ & Sty-  
riæ, quæ usque ad nos variè devenerunt, de-  
quibus etiam ritè & rationabiliter noster, &  
sacri regni, dilectus Leopoldus Dux Austriæ,  
& Styriæ, antiquorum Imperatorum Roma-  
norumque Regum literis, quas certitudina-  
liter, læsione procul mota, quales vidimus,

pleniūs Nos instruxit. Et cùm divinā gratiā, regiā perfectissimā perfruamur potestate: procul dubio nostram regalem bene condecet liberalitatem; ut nostros, & sacri regni principes, eorundemque terras, juribus, & gratiis specialibus sublimemus. E quibus specialiter magnificum, & sacro regno fidelissimum, sacerum nostrum, Principem Leopoldum, Ducem Austriae, & Styriæ, easdēmque suas terras sequentibus juribus, gratiis, & libertatibus volumus honorare. Primò: quòd si quis alicui Ducum Austriae, & Styriæ, quācunque censeretur dignitate, suarum terrarum provincias, & alia cætera, quicunque nomine, nuncupationēque censeantur, quæ aut à regali magnificantia, seu à principibus spiritualibus, concessionis, collationīlue officio derivarentur, legare, dare, obligare, vendere contingit, eosdem venditores, sive obligatores hujusmodi, nostra Regalis Majestas, nec aliquis hominum aliqualiter valeat impedire. Quòd si autem eadem venditio, obligatio, datio, legatio, evenire contingeret tam repente, quòd nec Regia sublimitas, nec harum rerum collatores possent aliquatenus requiri, Ducibus Austriae & Styriæ prædictis in eorum juribus ob hoc nullum eveniat penitus detrimentum. Etiam idem generosus Princeps Leopoldus Dux Austriae & Styriæ,

coram

coram nostræ Majestatis oculis, & Electorum Romani regni culminis inquisitione, & sententia obtinuit, pro solerti suarum antiquarum literarum recitatione: ut omnia sua jura, seu feuda, cuiuscunque sint conditionis, in equo residens recipiat, talibus collationibus magnifice prædicatus. Præterea eidem Illustrissimo Principi Leopoldo Duci Austræ & Styriæ, cunctisque suis sequacibus, hanc largiter concedimus dignitatem, ut in sui principatûs pileo nostræ regalis coronæ diadema solemniter ferre possint. Volentes largius, suas terras, seu ditiones, districtus, & cætera ad hujusmodi pertinentia, vel quæ imposterum poterunt obtinere, habere cuncta jura, libertates, bonasque consuetudines, quas Duces olim terrarum jam dictarum piæ recordationis, in commendabilem ex antiquis consuetudinem perduxerunt, atque recenter è nostræ manibus excellentiae suscepserunt, quibusvis impedimentis inviolabiliter procul motis. Demum mandamus, & sub interminationibus nostræ gratiæ districtè præcipimus; ut nullus sit, qui ausu ductus temerario Strenuissimum Principem Leopoldum Ducem Austræ & Styriæ præfatum, suosque sequaces audeat impedire, vel alicujus ingenij scrupulo molestare. Quod qui facere præsumperit, offendam nostræ Celsitudinis se noverit incursum.

Ad quarum etiam gratiarum concessarum perennem memoriam hanc ei literam conscribi, & sigillo nostro jussimus insigniri. Testes hi sunt: Ludovicus Dux Bavariæ, Palatinus Comes Rheni, Ulricus, & Ludovicus Comites de Ferreto, Conradus Burgravius de Nürnberg, Fridericus de Truhendingen Comes, Eberhardus Dapifer de Walpurg, Conradus Pincerna de Winterstetten, Chunradus de Sindeveld, & alij quām plures. Acta apud Eslingen anno Domin. Incarnat. MCCXXVIII. nono Kal. Septembr. Indict. prima.

VI. Agebantur hæc in Germania, cùm interim Fridericus Augustus Jolantham conjugem dolore partus exanimatam perdidit. Superstes mansit Conradus filius, qui postmodum Henrico fratri purpurâ spoliato in Romani regni solio successit. Non tamen impedivit luctus Cæsarem, quominus Imperij amittendi metu graviter percussus in Asiam navigaret. De hoc itinere Augustense chronicon: [Imperator defuncta imperatrice in puerperio transfretavit, & per Cyprum usque Accon pervenit, ubi in magna gloria fuit suscepitus, & post paucos dies legatos Soldani pacifice eum excipientes recepit.] Eundem Augusto mense Ptolemai dem attigisse, refert Abbas Urspergensis. Quām fœda porro fuerint ipsa statim initæ cum

cum Soldano pacificationis initia, Giroldus Hierosolymæ Patriarcha in suis ad Maximum Pontificem literis, ab Odorico Raynaldo exhibitis deploravit. [ Sciat Sanctitas vestra, quod circa festum B. Clementis Imperator Joppen profectus est de Accon, ipsumque secutus est exercitus Christianus. Ipso autem illuc perveniente, ac incipiente munire, Soldanus, qui prope erat cum suo exercitu, male respondit nuntiis Imperatoris, qui jam de Accon iverant ad eundem, & dixit: quod Imperator durante tractatu pacis Joppen non debuisset causam munitionis faciendæ venisse; propter quæ memoratos nuntios cum indignatione, & confusione remisit. - Ad hæc Imperator remisit notarium suum, - mittens Soldano arma sua propria, loricam scilicet, galeam, & gladium, atque mandans, sicut fuit nobis pro certo relatum: quod faceret de ipso Imperatore, quidquid vellet; quia nunquam contra eum de cætero se armaret. - Sic igitur reverso comite (legate Cæsaris) ad Soldanum tractatus pacis, qui modo supradicto in confusionem totius exercitus Christiani fuerat dissolutus, confusione dupli fuit denuo inchoatus.

A. 1229 Sancita demum An. MCCXXIX. prout Abbas Urspergensis inquit, [compositio in quadragesima inter Imperatorem, & Soldanum. Hierusalem, & Nazareth, &

Joppe cum terris adjacentibus, & aliis quibusdam locis Imperatori restituuntur, & treuga inter Christianos, & Saracenos ad decennium statuitur.] Propugnacis harum induciarum leges Patriarcha laudatus exhibet. [ Soldanus Hierosolymam Imperatori, ejusque praefectis tradet, ut de ea quo-cunque modo disponat, communiatve.] At quorsum ludicra haec cessio, si Christianæ pietatis arcem barbara superstitione retineat? Adjecto siquidem pacto impio, [Imperator non occupabit, attingetve Geemelata, quod Salomonis templum est, nec templum Domini, vel quidquam eorum ambitu, complexive contentum. Nec pati debet Francum ullum (quo nomine universos Ecclesiæ Latinæ assecetas barbari compellabant) cuiuscunque gentis fuerit ea invadere, sed nullo prorisus immutato erunt in potestate, ac manu Saracenorum, qui ea ad orationes suas fundendas, suamque legem promulgandam obtinebunt, nullâ iis prohibitione, & contradictione factâ; clavésque portarum, quæ in ambitu locorum sunt, apud eos, qui ad ea loca instauranda, curandaque resident, remanebunt, nec imposterum iis eripientur;] ut videlicet excluso probabariorum lubidine sacro antistite, populoque Christiano spurcissima Mahometi lex in ipsa sepulchri Domini basilica resonaret. Econtra

tra [ nulli Saraceno vetitum erit in Bethlehem liberè peregrinationem obire, ] nemine hominem , quantumvis impium , à sanctissimis Christi incunabulis arcere auso . [ Si qui Franci pactiones conventas transgredi cogitent ; Imperator Soldanum defendere tenetur , ac ab ea mente suos subditos , exercitūmque Christianum revocare ; ] ut proinde nulli Christiano principi durantibus hisce induciis bello aggredi Saracenos licet , nī Cæsarem quoque sibi hostem vellet .  
 II. His stabilitis , etsi Solymam adeò impiis conditionibus deditam , sacrorum usu Patriarcha interdixisset ; nihilominus plerique peregrini , equitesque Religiosi , prout idem memorat , [ sabbato Dominicæ , quâ cantatur : Oculi mei , sunt cum Principe civitatem ingressi , qui summo manè ipso die dominico ( videlicet XV. Kal. Apriles ) sepulchrum intravit , vestibûsque indutus regalibus capiti suo imposuit diadema . ] Sceanâ hâc inauguratione peractâ [ crastino diluculo civitatem exivit ; - & ipso die versus Joppen ita celeriter festinavit , quod vix , qui eum sequi valeret , invenit . - Quod vindentes peregrini , séque cum ipso pariter reputantes confusos ; audientes inter cætera proclamationem legis Mahometi altè , & solemniter frequentari , - civitatem exhibant omnes unanimiter , ipsūmque sequebantur

ad portum suâ peregrinatione, ita quòd non sperabatur, quòd ibi deberet Christianus aliquis remanere.] Relicta igitur impietati barbaræ fuit Hierosolyma, indignantib⁹ præcipue cum Patriarcha Templariis equitibus; quòd ille cathedrā; hi verò sanctissimæ Basilicæ custodiâ dejecti fuissent. Postquā ergo [Imperator venit in Accon in media quadragesima] ut ipse met Gregorius expeditis ad Principem nostrum literis queritur, [dictum Patriarcham & Fratres militiæ templi obsidens in Accon, quinque diebus cum iis, qui secum erant, graviter impugnavit, intendens domos eorum bonis omnibus spoliare. Sed cum Dominus conatum suæ nequitiae repressisset, nec posset, quod gerebat in animo, efficere, - destructis galeis, quæ erant ad terræ custodiam relinquendæ, in festo Philippi & Jacobi Apostolorum clam fugit, & diluculo civitatem egressus, terram viris, & viribus, armis, & munimentis cæteris substitutam relinquens, exposuit inimicis fidei occupandam.]

III. Redeuntem ex Oriente Cæsarem nemo ardentius, quam Raynaldus Spoletanus, qui supremus per Apuliam armorum præfetus erat, neque frustra expectavit. Caperat ille sub anni præcedentis finē ditiones Pontificias, & nonnulla in potestatem oppida felici latrocinio redegerat. Cum sa-

cra fulmina Pontifex incassum excusisset, exercitum ad labata, clavibus Apostolicis insignia, concivit; datóque Joanni Solymæo castrorum imperio non solùm prædonem repulit, sed magnam Apuliæ, Campaniæ. que partem Raynaldo extorsit. Versa est belli alea, postquam testante Urspergensi [tempore æstivo Imperator reversus venit in Apuliam. - Multi namque tam de ultramontanis, quam de partibus illis Christiani, & Saraceni coadunati sunt ad Imperatorem, ut haberet maximum exercitum, & fortissimum, cœpítque terras sibi ablatas recuperare, & hostes de finibus suis expellere.] Territus fortunatō hostilium aquilarum progressu Pontifex, christianorum principum auxilia, singulariter verò Leopoldi Ducis imploravit. Prolixam siquidem epistolam ab Odorico editam, quâ Cæsarem ob foedè peractam expeditionem Asiaticam acriter perstrinxit, gravissimâ hâc obtestatione conclusit: [Quocirca nobilitatem tuam rogamus, & monemus in Domino, per effusione Christi sanguinis obsecrantes: quatenus ad vindicandam injuriam Salvatoris nostri DEI taliter assurgas; ut cum à nobis fuisse requisitus, paratum te inveniat Ecclesia mater tua ad exprobrandum opprobrium inimicorum crucis Christi, & abolendam maculam tantæ infamiae à gloria nominis Chri-

Christiani. - Datum Perusij XV. Kalend.  
August. Pontificatus nostri anno III.]

IV. Haud leviori metu premebat Cæsar,  
nè attractis ad fœdera Pontifícia Imperij ma-  
gnatibus, folio excuteretur. Infulatos igi-  
rur rursum oratores ad summum Antisti-  
tem misit, eorumque supplici facundiâ, pro-  
ut Abbas Urspergensis ait: [beneficium ab-  
solutionis humiliter cum omni obedientia,  
& devotione, & justitiæ exhibitione postu-  
lavit. Super causis vero, quæ inter ipsum,  
& Papam vertebantur, definiendis, advo-  
cavit Principes Alemanniæ, qui venerunt in  
Italiam, videlicet Patriarcha Aquilejensis,  
Archi-Episcopus Salzburgensis, Episcopus  
Ratisponensis, Luipoldus Dux Austriæ] pa-  
ritérque Otto Meraniæ, & Bernardus Ca-  
rinthiæ Duces. Priusquam tamen eò Prin-  
ceps noster contenderet, dissoluto filij Fride-  
rici connubio, novis eundē sponsalibus illiga-  
vit. Disertè id perhibet Australe Chronicón.  
[ Fridericus filius Ducis Austriæ neptem  
(quinto sororem) reginæ Ungariæ repu-  
diavit, quæ copulata ei erat in conjugio,  
& filiam Ducis Moraviæ (legendum: Mera-  
niæ) sibi illicitè copulavit; patre suo in  
omnibus his auctore.] Divortio huic co-  
lorem dederit arcta quædam sanguinis ne-  
cessitudo, vi cuius Reginæ Ungaricæ soror,  
prout alias eandem chronologus appellat,

Theo.

Theodoræ Principis matri jungeretur. Delecta igitur Agnes, Ottonis Meraniæ Ducis filia, ideoque Gertrudis illius, quâ dudum Andreæ Regis Hungariæ thalamum cruentâ perfidiâ spoliatum diximus, ex fratre neptis. Cùm verò pietas Leopoldi neutiquam patiatur, ut filij torum adulterino concubitu pollutum censemus; hinc tota parentis culpa in eo constiterit, quod repudium istud absque sacri tribunalis sententia fuerit peractum. Profectis in Italiā Principibus, ut Abbas Urspergensis pergit, [Imperatore manente apud Capuam tractatum est de pace, & concordia inter Imperium, & Sacerdotium. - Sanè hæc compositio, cùm non posset perfici eō anno, dilata est usque in annum sequentem.] Atque his vocibus suum chronicon Abbas conclusit, res gestas calamo plerumque sincero exprimens, quem tamen exulceratus in Maximos Pontifices animus atrâ nimis sepiâ frequenter imbuit.

V. Cæterum hoc anno Stainzense Canonorum Regularium S. Augustini collegium, velut nova virtutum, & scientiarum orchestra in Styria inferiore suos natales habuit. Conditor ejusdem Luitoldus dynasta Wildonensis erat, qui amænissimam per amplæ ditionis partem, DEO, Deiparæ, ac Divæ Catharinæ, Virgini, & Martyri sacram voluit. Assurgens in campo suis montibus coro-

coronato, miti ascensu, planoque culmine tumulus, opportunam erigendae basilicae, sacróque polyandro stationem præbuit. Cùm pià desideria probâsset Seccoviensis episcopus, intra cujus diœceseos limites is locus comprehenditur, simûlique Archimystæ Salisburgensis nutus accessisset, ut religiosa æquè ac erudita manus annotavit: [ Geroldus ab ipso fundatore cum prima religiosorum virorum colonia ad Stainzensem ecclesiam regendam legaliter inductus, & primus antistes constitutus est.] Supersunt enim verò sequentium quoque Præpositorum nomina; sed omni temporum, quibus præfuerunt, calculo destituta, ut deinceps inviti annales de his conticefcant. Admontenses autem digno vitâ longiore præsuli, qui tertium regiminis annum haud expleverat, prout chronicon domesticum innuit, funebria peregerunt. Nam [Wichpoto Abbas XII. Kal. Decembris moritur; Abbas de Beurn Dominus Bertholdus ei substituitur.] Discordare videtur quoad nomen successoris aliud ejusdem cœnobij volumen, vi cuius Bertholdo tantisper dilato [Jodocus prius Nonas Decembris] Wichpotoni sufficiens memoratur. Utrumque tamen combinari posse, ex Heinrici Steronis annalibus arguitur, qui ad annum præsentem ita loquuntur: [Poppo Altahensis Abbas obiit;

Bertholdus Burensis Abbas eligitur, post quem Chunradus eligitur.] Jodocus igitur, et si ritè nominatus, priusquam magistratum capesseret, repentina vi morbi denatus est. Unde Bertholdus I. ad gemini monasterij regimen invitatus, neglectis Altahensium votis, sacros sibi Montes potiores habuit. Eundem à septimo ultra decimum saeculi hujus anno Divi Michaëlis asceterio præfuisse, catalogus Salisburgensi historiæ annexus indicat, sed aliò evocatum fuisse dissimulat.

A. 1230. At Voraviense collegium Anno MCCXXX. Bernoldum antistitem ordine quintum sibi delegit, cum Henricus, placidissimi vir ingenij, pridie Nonas Februarias dececessisset. Idem porro mensis Hezmannum cathedralis ecclesiæ Seccoviensis Præpositum sustulit, cuius funebrem memoriam Cistercij Runensis ephemerides pridie Idus Februarij exhibent. Subrogatus eidem fuit Gotfridus, præsul ordine quartus, haud integro tamen lustro præfuturus. Ex eadem verò magni Patriarchæ Augustini familia, in qua vitæ sanctioris documenta beatus Dominicus Oxomiensis primùm Canonicus imbibерat, feliciter enatus Prædicatorum ordo, primam in Styria infetiore stationem magno patriæ totius bono occupavit. Lubet isthinc usurpare verba, quibus cœnobij illius originem, è veteri tabulario

excer-

exceptam, familiaris penna benevolè communicavit. [ Domus hæc nostra fratrum Prædicatorum Petovij, anno Domini milles. ducentes trigesimo ad petitione piæ memorie venerabilis D: Eberhardi Salisburgensis Archi-Episcopic concessa est, & fundari inchoata in area, quam contulit felicis recordationis nobilis matrona Mechtildis, relicta Domini Friderici de Petovio, viri nobilis, & honesti vidua. Fuerunt autem principales benefactores, memoratus Archi-Episcopus, & Dominus Bernardus de Petovio; deinde D. Wulfinus de Stubenberg, & Comitissa uxor ejus. Primus Prior fuit frater Otto, cognomento Grammatica.] His sanè stativis antiquissima Pannoniæ superioris civitas, longè felicior, quam Romanis olim legionis XIII. Geminæ, Piæ, Fidelis, sub Vespasiano Augusto, hybernis evasit.

II. Non tamen sacra hæc præsidia, quibus Styria hucusque munita erat, impedire poterant, quò minus gravissima utrique provinciæ clades, multarum deinceps calamitatum bajula, uno in capite infligeretur. Profectus erat anno præcedente in Apuliam Dux noster Leopoldus, quò unà cum aliis Imperij magnatibus ad sanciendam cum summo antistite pacem fuerat evocatus. Morabatur Romæ Pontifex, ad quem teste Alberico, [ Dux Austræ Leopoldus venit, &

omni-

omnimodam ei exhibens humilitatem obtinuit, quòd cum Imperatore pacem faceret.] Vaticanani proinde legati ad oppidum S. Germani, quòd Cæsar se contulerat, expediti fuere. Primò id statutum: ut Fridericus se justis de causis anathemate vincitum agnosceret, ideoque supremi antistitis sententiæ, quâ pœna reo decernenda erat, pariturum addiceret. Hoc porro sequenti formula, publicis commissa tabulis, à Cæsare præstitum. [Fridericus DEI gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex, notum facimus universis: quòd nos pro omnibus, pro quibus excommunicati sumus, tactis sacro-sanctis evangeliis juramus coram vobis Dominis: Joanne venerabili episcopo Sabinensi, & Thoma tituli S. Sabinæ, venerabili presbytero, Cardinalibus Apostolicae sedis legatis, vice Reverendissimi Patris Domini Gregorij summi Pontificis, recipientibus: stare præcisè mandatis Ecclesiæ, & sine aliqua conditione secundùm formam Ecclesiæ. - Datum apud S. Germanum Anno Dom. Incarn. MCCXXX. die II. mensis Julij, Indict. III. ]

III. Dum hasce tabulas ad summum antistitem legati ferrent, ulteriora desuper mandata recepturi, Cæsar interim diploma te sequenti concordiam inter geminos Principes roboravit: [Fridericus II. Divina fa-

vente clementia Romanorum Imperator  
semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex.  
Quia labilis est rerum humanarum memoria,  
nisi rei gestæ series scripturæ perpetuitate  
notetur: ideo, quæ in præsentia nostra co-  
ram Principibus, & viris Nobilibus inter di-  
lectos Principes nostros Bertholdum vene-  
rabilem Patriarcham Aquilejæ, & Ottoneum  
Ducem Meraniæ fratrem ejus facta sunt, &  
dicti Ottonis obligatione firmata, dignum  
duximus autoritate nostra prosequi, & præ-  
sentis divalis paginæ memoriâ commendare.  
Hinc est utique, quod tam modernis, quam  
posterioris volumus tenore præsentium esse no-  
tum: quod residentibus nobis cum princi-  
pibus nostris in palatio terræ nostræ S. Ger-  
mani, præsentibus quoquè Principibus an-  
tedictis, videlicet Venerabili Patriarcha, &  
Duce Meraniæ fratribus, idem Dux Meraniæ  
in præsentia Principum cæterorum nostro  
conspicui se præsentans in petitione, quam  
contra eundem Patriarcham de Marchia, &  
Comitatu, Istriæ & Carniolæ, quæ dictus  
Patriarcha in feudum pro eadem Aquile-  
jensi sede tenet, dudum & sæpe jam move-  
rat, spontaneâ cessit, & gratuita voluntate re-  
mittens in perpetuum ei, & eidem sedi Aqui-  
lejensi, jus omne, & quæstionem, quæ con-  
tra eum in eisdem Marchia, & Comitatu  
Istriæ & Carniolæ requirere poterat, & si quid  
juris

juris in eis videbatur habere. Insuper se sub pœna duorum millium marcharum auri puri obligavit, quod contra cessionem, remissionem, & obligationem eandem per se, vel per submissam personam nullo futuro tempore veniet; quod si cum venire continget, pœnam præfatam incurret, cuius mediata tem Curiae nostræ, & reliquam parti passæ injuriam solvet, cessione, ac remissione præmissâ nihilominus in sua manente firmitate. Et ne processu temporis posset in dubium revocari, sed ex favore nostro res gesta in suo robore perleveret: ad ejusdem rei seriem evidenter præsentem divalem paginam fieri, & bullâ aureâ typatio Majestatis nostræ impressâ jussimus insigniri. Hujus autem rei testes sunt Eberhardus Salzburgensis Archi-Episcopus, Sifridus Ratisponensis episcopus, Chunradus Tergestinus episcopus, Carolus Seccoviensis episcopus, Demetrius Rex Thessalonicensis, Bernhardus Dux Carinthiæ, Rapoto Palatinus Comes Bavariæ, Henricus frater ejus Comes de Ortenberch, & quāplures alij, qui interfuerunt. Acta sunt hæc Anno Dom. Incarn. MCCXXX. Mense Julio, Indict. III. Imperante Domino nostro Friderico, - anno Romani Imperij ejus IX. Hierusalem V. Siciliæ XXXII. ]

IV. Præscriptæ dein leges Cæsari, quibus pax inniteretur: ut Vaticana secutis labara

veniam præberet, ablatas Ecclesiæ ditiones redderet, ærario bellicas impensas refunderet, illata Syriæ damna resarciret, utriusque Siciliæ regnum instaurato fidei sacramento recipere; interea verò castra quædam Hermanno equitum Teutonicorum magistro, veluti sequestro traderet, donec Imperij principes de his adimplendis fidejussores constitueret. Posteaquam hæc omnia membranis publicis ratihabita fuere, quæ Richardus de S. Germano fusiūs recenset, demum [ Imperator in castris ante Ceperanum in capella S. Justæ, die Mercurij, in festo B. Augustini per Sabinensem episcopum ab excommunicationis vinculo est liberatus. ] Tum verò [ primâ die Septembris Cæsar invitatus à Papa, cùm esset in castris in pede Anagniæ magnificè comitatus à Cardinalibus, & nobilioribus civitatis intravit Anagniam, & eo die cum Papa sedit in mensa; & solus cum solo, magistro tamen Theutonicorum præsente, in papali camera consilio longo tenuere se diu, ac die lunæ sequenti cum gratia Papæ, & Cardinalium in castra reversus est. ] Sic turbulenta illa reipublicæ Christianæ procella incredibili orbis gaudio tandem penitus sedata est.

V. Non tamen Principi nostro indulsere fata, ut postremâ hâc in terris lætitia fructetur, quâ pacem integrè confectam cerne-

ret. Inter ea siquidem inchoatæ feliciter concordiaæ negotia , prout Richardus de S. Germano asserit , [ Luipoldus Dux Austriæ , & Styriæ , die dominico , in festo SS. Nazarij & Celsi ( videlicet V. Kal. Aug.) apud S. Germanum naturali morte defecit , ] iis præcipue de causis luctuosâ , quod simul cum eodem pristina harum provinciarum felicitas fuerit extincta . Successerat ille parenti Leopoldo Virtuoso , ad annum præcedentis sæculi nonagesimum quintum in Ducatu Styriæ , Friderico fratri natu majori ad annum nonagesimum octavum in ducatu Austriæ . Theodoram , Manuele Comneno Augusto genitam , altero hujus sæculi anno in thalamum recepit , è quo Leopoldus , Henricus , & Fridericus filij ; Agnes , Margarita , Constantia , & Gertrudis filiæ , fœcundo magis , quam felici stemmate prodiverunt . Fortunatæ tamen sub pientissimo Leopoldi imperio fuerunt provinciæ , in quibus teste Augustensi chronico , [ monasteria , clerus , & populus magnâ pace gaudebant , ut meritò pacificus , & Pater cleri vocaretur . ] Hæc tamen encomia non modò comprehendit , sed etiam transcendent Gloriosi nomen , quod illustria bello ac pace gesta Leopoldo perpetuum adscripsere . Defuncti cadaver barbarâ quadam illius ævi pietate mem-

bratim concisum, & aquis ferventibus decoctum est; tum verò, prout Godefridus Coloniensis inquit, [ viscera, & carnes in capitulo S. Benedicti montis Cassinensis tumulantur, ossibus in Austriam reportatis.] Funebria porro ab ipsis Vaticanis patribus peracta fuisse, chronicon Australe addit, ut proinde haud minori gloriâ, quâ vitam mortalem Princeps egerat, exta ejusdem sepulchro inferrentur. Atque isthinc calamus invitus fistitur, additur quoquè Friderici I. Ducis Bellicosi, suæ Stirpis ultimi regimen; nî prælum typographicum moras injecisset. Interim præsens opusculum eruditis oculis in censuram eâ de causâ exponendum erat, ut fors probatâ hâc scribendi methodo, quâ usitatam alias hac ætate critcam observare conati fuimus, deinceps integri annales Ducatus Styriæ elaborentur.

# F I N I S.



IN-



# INDEX RERUM MEMORABILIUM,

In quo

Prior numerus annum, po-  
sterior paragraphum de-  
signat.

## A.

**A**dalbertius II. Archiepisc.  
Salisb. ad cathedram  
amissam reddit. 1183. III.  
In Italia cum Pontifice mo-  
ratur. 1184. III. Episco-  
pum Pataviensem conse-  
crat. 1191. III. Subditos  
Hallenses plectit 1196. III.  
Capitur à subditis sed mox  
liberatur. 1198. IV. Mori-  
tur. 1200. I.

Admontenses Abbates.  
Vide : Isenricus, Rudol-  
phus II. Joannes I. Rudi-  
ger. Wolfframus. Gode-  
fridus II. Wichpoto. Jo-  
docus. Bertholdus.

Alexander III. Papa mo-  
ritur. 1181. III.

Aquileja Patriarchæ.  
Vide : Udalricus II. Gode-  
fridus. Pillegrinus II. Wolf-  
gerus. Bertholdus.

## B.

**B**eramundus Carthusiæ  
Seizenensis Prior mori-  
tur. 1185. II.

Bernardus Præpositus Vo-  
raviensis eligitur 1185. II.  
moritur 1202.

Bernoldus Præpositus Vo-  
raviensis eligitur 1230. I.

Bertholdus Archiepisco-  
pus Colocensis, Gertrudis  
Reginæ Hungariæ frater.  
1213. III. fit Patriarcha  
Aquilejensis. 1218. III. Ad  
componendam pacem in-  
ter Cæsarem, & Pontifi-  
cem in Italiæ abit. 1229.  
IV. Concordiam init cum  
fratre Ottone Meraniæ Du-  
ce. 1230. V.

Bertholdus II. Abbas Ad-  
montensis eligitur 1229.  
V.

# Index

## C.

**C**arolus primus Episcopus Seceoviensis inaugura-  
tur. 1319. I. Cum Eber-  
hardo Archiepisc. Salisb.  
reliquias SS. Viti & Modesti  
in ecclesia Laventina repe-  
rit. 1223. IV. Eberhardum  
in Boicam comitatur 1228.  
III. Cum eodem in Italia  
moratur. 1230. III.

**C**ella Mariana in Styria  
origo. 1200. IV. Gratia-  
rum primitiae. 1226. V.

**S. Ch**unegundis Impera-  
tricis lipsana Bambergæ è  
tumulo levantur, ejusque  
honoris Leopoldus Dux Græ-  
cij templum erigit. 1202.  
III.

**C**hunegundis Vohburgi-  
ca Ottocari I. Ducis Sty-  
riæ mater, Admontensis  
monialis moritur. 1184. II.

**Clemens III.** Papa eli-  
gitur. 1187. III. moritur  
1191. II.

**Cœlestinus III.** Papa eli-  
gitur, ab eoque Henricus  
VI. Imper. coronatur. 1191.  
II. moritur 1198. I.

**Conradus III.** Archiepisc.  
Salisb. & Cardinalis comi-  
tem Ortenburgicum im-  
pugnat. 1180. IV. Basili-  
cam Salisburgensem instau-

rat. 1181. I. Cum Ponti-  
fice in Italia versatur 1182. I.  
Relicta Salisburgensi ad ca-  
thedram Moguntinam re-  
dit. 1183. III. Moritur.  
1200. III.

**Conradus** Abbas Runen-  
sis eligitur 1195. IV. Mo-  
ritur. 1205. IV.

**Constantia Sicula** Henri-  
co VI. Imperatori jungitur,  
& Longobardiæ Regina co-  
ronatur. 1186. I. Relicta  
filio Friderico II. Cæsare  
moritur. 1199. III.

**Constantia Aragonia** Em-  
rici Regis Hungariæ vidua  
in Austriam fugit. 1205. II.  
Friderico II. Cæsari jungi-  
tur. 1209. IV. Romæ co-  
ronatur. 1220. V. moritur.  
1222. II.

**Constantinopolis** à Latini  
capitur 1204. III.

## D.

**D**amata Urbs Ægypti  
à Leopoldo Duce Sty-  
riæ aliisque obsidetur. 1218.  
II. Capitur ab exercitu  
Christiano 1219. VI. Rur-  
sus amittitur. 1221. III.

**Dietpoldus**, seu Theobal-  
dus, Episcopus Pataviensis  
Fridericum I. Cæsarem in  
Asia comitatus moritur.  
1190. VI.

## Rerum Memorabilium.

S. Dominicus primitias ordinis Prædicatorum, in Lateranensi concilio approbari obtinet. 1215. III. Ad superos abit 1221. IV. Monasterium hujus ordinis Petovij erigitur. 1230. I.

### E.

Eberhardi I. Archiepiscopalis Salisb. sepulchrum miraculis fulget. 1181. II.

Eberardus II. Archi-  
Episcopus Salzburg. eligi-  
tur, 1200. I. Imperialem  
legatum apud Pontificem  
agit, palliumque accipit  
1201. IV. Bellum Duci  
Bavariæ movet. 1203. II  
Pacem concludit. 1204.  
Generali concilio Latera-  
nensti adest; & erectum epi-  
scopatum Chiemensem  
confirmari obtinet. 1215.  
III. Concilium provin-  
ciale celebrat. 1216. III.  
Seccoviensem episcopatum  
in Styria erigendi faculta-  
tem ab Honorio III. Papa  
postulat. 1217. IV. Ean-  
dem obtinet. 1218. IV.  
Annutum quoquè Cæsaris  
imperat. V. Episcopatum  
Seccoviensem erigit, & Con-  
cilium provinciale celebrat  
1219. I. Accusatus per

Theodoram Principem, ab eringenda Seccoviensi cathedra desistere jubetur. II. Lipsana SS. Viti & Mo-  
desti in ecclesia Laventina reperit, eaque Salisburgum transfert. 1223. IV. in Boi-  
cam proficiscitur. 1228.  
III. Ad componendam inter Cæsarem, & Pontifi-  
cem concordiam in Italiani  
pergit. 1229. IV.

Engelbertus Abbas Ru-  
nensis. 1216. II. fit Abbas  
Eboracenfis 1226. IV.

### F.

S. Franciscus primitias Ordinis Minorum à Concilio Lateranensi approbari obtinet. 1215. III. Ad superos abit 1226. IV.

Fridericus I. Imper. Sty-  
riam in Ducatum erigit.  
1180. III. Bellum Sa-  
xonicum dejecto Henrico  
Leone conficit. 1181. IV.  
Longobardia pacem Con-  
stantiæ firmat. 1183. I. Ro-  
manos compescit. II. Mo-  
guntiæ comitia celebrat, &  
privilegia Admontensia fir-  
mat. 1184. I. Cum Ur-  
bano III. Papa colliditur.  
1186. I. Sacrum ad recu-  
perandam Hierosolymam  
bel-

## Index

bellum decernit. 1188. I. Legatos in Syriam, aliásque provincias mittit. IV. Exercitum cruce signatum Ratisbonā in Austriam deducit. 1189. I. Hungariam ingreditur, ubi Friderico filio, Suevorum Duci, Belæ Regis filia despontatur. II. Bulgariam penetrat. III. Hadrianopoli hybernat. V. In Asiam transit. 1190. I. Turcis profligatis Iconium ingreditur. II. & seq. Prope Seleuciam in flumine Gacycadno aquis præfocatus moritur. IV. Elogium ejusdem. V.

*Fridericus II. Imper. nascitur.* 1194. IV. Rex Rom. eligitur. 1196. II. Philippo patruo imperium cedere cogitur. 1198. II. Constantiam Aragoniam dicit. 1209. IV. Ad capessendi Imperium loco Ottonis IV. invitatur. 1211. II. In Germaniam contendit. 1212. I. Rex Romanorum iterato elegitur. IV. Pontificis distinctiones confirmat. 1213. I. Aquilejensis Patriarchæ privilegia roborat. 1214. I. Brabantiam, & Lotharingiam occupat. II. Aquisgrani Rex inungitur, &

cruce militari insignitur. 1215. II. Spolia ecclesiastica ejurat. 1216. I. Approbat suo diplomate episcopatū Seceoviensem. 1218. V. Henricum filium in Regen Rom. eligi procurat. 1220. I. Excusat id Pontifici. III. Romæ coronatus se bello sacro iterum devovet. IV. Ad illud suscipiendum à Pontifice urgetur. 1221. I. Cunctatione sua cladem exercitus Christiani in Oriente causat. II. & seq. Excusat se Pontifici. VI. Cum eodem conventum Verulis celebrat. 1222. I. Constantiam conjugem amittit. II. Germaniæ Principes ad Veronensiæ comitia invitatos deludit. III. Iterum sacro bello se devovet. 1223. II. Saracenis in Sicilia debellatis Principes ad expeditionem Orientalem invitati. 1224. III. Joantham Solymæ Regis filiam dicit; bellique sacrificias postulat. 1225. I. Conitia, sed per Longobardos impedita, Cremonam indicit. 1226. II. Expeditionem Asiaticam neglit. 1227. IV. Ideò anathemate

## Rerum Memorabilium.

themate à Gregorio IX. Pontifice percellitur. V. Ad eundem frustra legatos mittit. VI. Comitia Ravennam, sed irrita convocat. 1228. I. Jolantham superstite Conrado filio mortuam amittit, & in Asiam navigat. VI. Hierosolymam foedis conditionibus recipit, 1229. I. Imposita sibi metipsi coronā in Apuliam redit. II. & seq. Veniam à Pontifice petit, Principesque ad hanc impetrandam in Italiam vocat. IV. Submittit se Pontifici. 1230. II. Concordiam inter Bertholdum Patriarcham Aquilej. & illius fratrem Ottonem Duce Meraniæ firmat. III. Sub certis conditionibus anthemate solitus, à Pontifice hospes excipitur. IV.

*Fridericus I. Bellicosus Leopoldi II. Ducis filius nuptias celebrat. 1226. I. Conjugem repudiat, 1229. IV.*

## G.

*Gebhardus Episcopus Paraviens. eligitur 1221. V.*

*Geroldus Praepositus Sec-*

*coviensis eligitur. 1196. III. Moritur, 1220. III.*

*Godefridus Patriarcha Aquilej. eligitur. 1182. I. Henricum VI. Imper. Longobardiae Regem coronat. 1186. I.*

*Godefridus II. Abbas Admont. eligitur. 1207. IV. regimen deponit 1126. IV.*

*Godefridus Praepositus Secoviensis. eligitur. 1230. I.*

*Gössense monialium cœnobium à Liutoldo dynasta Guettenbergico, beneficiis augetur. 1187. II.*

*Gregorius VIII. Papa eligitur, & moritur. 1187. III.*

*Gregorius IX. Papa eligitur. 1227. II. Fridericum secundum Cæsarem anthemate ferit. V. Hinc Româ tumultuante excedere cogitur, 1228. II. Cæsarem absolvit, & in gratiam recipit. 1230. IV.*

*Gyrienensis Carthusia. Vide: Leopoldus II.*

## H.

*Haartvici Archiepiscopi Salisb. sepulchrum miraculis fulget. 1181. II.*

*Helena Leopoldi II. Ducis Styriæ mater moritur. 1199. III.*

*Henrius VI. Imper. Rex Lon-*

# Index

Longobardia coronatur, & Constantiam Siculam dicit. 1186. I. Urbanum III. Papam, ejusque ministros insectatur. 1187. I. Romæ coronatur. 1191. II. Richardo Angliæ Regi per Leopoldum Ducem capto grave lytrū imponit. 1193. II. Siciliæ regnum occupat. 1194. IV. Siculos rebelles plectit. 1195. II Sacrum bellum ad recuperandam Hierosolymam decernit. III. Imperio Græco inhiat. 1196. Novam Siciliæ rebellionem comprimit. 1197. I. Moritur. III.

*Henricus*, Friderici II. Cæsaris filius Rex Roman. eligitur. 1220. I. Aquif grani ungitur. 1222. II. Margaritam Leopoldi Ducis filiam, conjugem accipit. 1225. II. Insigne privilegium Leopoldo Socero, ejusque posteris confert. 1228. V.

*Henricus Crudelis*; Leopoldi II. Ducis filius Agnetem Thuringicam ducit. 1225. III. Adversum parentes insurgit. 1226. III. Moritur relicta Gertrude filia. 1228. IV.

*Henricus de Præbeck*, ca-

strum gentilitium Seccoviensibus donat. 1207. III. *Henricus I. Præpositus Voraviensis* eligitur 1217. IV. Moritur. 1230. I.

*Honorius III. Papa* eligitur. 1216. III. Annuit Eberhardo II. Salisburgensi Archiepisc. ut Seccovensem in Styria Episcopatum erigat. 1218 IV. Eundem rursus desistere jubet. 1219. II. Fridericum II. Cæarem, & Constantiam Augustam Romæ coronat. 1220. IV. & seq. Eundem ad sacram expeditionem urget. 1221. I. Leopoldum II. Duce Styriæ ad repetendum bellum sacrum invitat. 1223. III. Moritur. 1227. I. *Hezemanus Præpositus Seccoviensis*, eligitur. 1220. III. Moritur. 1230. I.

## I.

*Innocentius III. Papa* eligitur. 1198. I. Ottoni IV. Cæsari contra Philipum II. favet. 1201. I. Legatos in Germaniam mittit. 1207. I. Leopoldo II. Duci Styriæ, Crucem militarem mittit. 1208. I. Hortatur eundem, ut Cæsari Ottoni adhæreat. V. Ottone

nem

## Rerum Memorabilium.

nem IV. Cæsarem coronat.  
1209. III. Eundem depo-  
nit. 1211. II. Concilium  
Lateranense celebrat. 1215.  
Moritur. 1216. III.

Joannes I. Abbas Admon-  
tensis eligitur. 1199. III.  
Moritur. 1202. III.

Joannes I. Carthusiæ Sei-  
zensis Prior eligitur. 1185.  
II. Moritur. 1207. IV.

Jodoenus Abbas Admon-  
tensis eligitur, & moritur.  
1219. V.

Jolantha Augusta, Joani-  
nis Hierosolymæ Regis filia  
Friderico II. Cæsari nubit.  
1225. I. Moritur reliquo  
Conrado filio. 1228. VI.

Isenricus Abbas Admon-  
tensis à Friderico I. Cæsare  
monasterij sui privilegia fir-  
mari obtinet. 1184. I. Eun-  
dem in sacro bello comi-  
tatus moritur. 1189. III.

## L.

Leopoldus I. Virtuosus,  
Dux Styriae II. ab Ot-  
to caro I. Duce designatur.  
1186. II. & seq. Ptole-  
maide expugnata per Ri-  
chardum Angliæ Regem  
contumeliâ afficitur. 1191.  
IV. Dux Styriae à Cæsare  
inauguratus Seccoviensia

privilegia Græcij confirmat  
1192. III. Richardum An-  
gliæ Regem Viennæ capit.  
IV. Eundem Cæsari Hen-  
rico tradit. 1193. I. Acce-  
pto lytro, & obsidibus, li-  
bertatem illius promovet.  
1194. I. Pontifici à Rege  
liberato accusatur. II. Ana-  
themate percellitur. II.  
Græcij moritur. V. Elo-  
gium ejusdem. VI. Sepeli-  
tur. 1195. I.

Leopoldus II. Gloriosus,  
Dux Styriae III. Parenti  
Leopoldo succedit. 1195. I.  
Belæ III. Regi Hungariæ  
avunculo parentat. 1196. I.  
Friderico fratre in Palæsti-  
na mortuo Austriæ Duca-  
tum obtinet. 1198. I. Phi-  
lippo Augusto contra Ot-  
tonem Augustum adhæret.  
II. Ad restituendum Ri-  
chardo Angliæ Regi lytrum  
urgetur. III. Andreæ ad-  
versus fratrem Emericum  
Hungariæ Regem supprias  
præbet. 1199. II. Matri  
Helenæ parentat. III. Bal-  
theo equestri cingitur 1200.  
II. Philippi Cælaris cau-  
sam apud Pontificem con-  
tra Ottomem tuetur. 1201.  
III. Austriæ, Styriæque  
Dux à Philippo auctoratus  
Sec.

## Index

Seccoviensium privilegia  
fimmat. 1202. II. Bam-  
bergæ adest translationi  
S. Chunegundis, ejusque  
honoribus Græcij templum  
erigit. III. Theodoram Ma-  
nuelis Comneni, Cæsaris  
Orient. filiam dicit. IV.  
Profugam ex Ungaria Con-  
stantiam Aragoniam Eme-  
rici Regis viduam excipit.  
1205. II. Exercitum Phi-  
lippo jungit. III. Cistercium  
in Campo Liliorum erigit.  
1206. I. Nascitur eidem  
primogenitus Leopoldus.  
1207. I. Episcopatum Vien-  
næ Austriæ erigere inten-  
dit. *Ibid.* Sacré militiæ  
crucem accipit. 1208. I.  
Monetur à Pontifice, ut  
Ottoni Cæsari adhæreat. V.  
Beaticem Philippi filiam  
Ottoni Gæs. sponsam tradit.  
1209. I. Gyriensem in  
Styria Carthusiam eidem  
ordini alter fundator ven-  
dicit. II. Leopoldo filio  
Misniæ marchionis filiam  
desponsare cupit. 1210. I.  
In Hispaniam contra Mau-  
ros bellaturus proficisciatur.  
1212. II. Inde redux Car-  
thusiam Gyriensem per E-  
piscopum Bambergensem  
dedicat. III. Fridericu[m] II. Cæ-  
sar is aulam sequitur. 1213. I.  
Arma eidem adversùs Bra-  
bantiæ, & Lotharingiæ  
Duces jungit. 1214. II.  
Manegoldo Episc. Patav.  
item cedit. 1215. I. Mu-  
nificus in ecclesiam Pata-  
viensem. 1216. II. Leo-  
poldo filio orbatur. IV. sa-  
crum in Oriente bellum au-  
spicatur. 1217. II. & seq.  
Pelusium seu Damiatam in  
Ægypto obfidet, turrim  
que Niloticam expugnat.  
1218. II. Ex Ægypto re-  
dit, & Seccoviensis epi-  
scopatus initia probat. 1219.  
V. Arcem Guetensteiniam  
munit. 1220. III. Ad sa-  
crum bellum à Pontifice in-  
vitatur. 1223. III. Hen-  
rico I. Medlicensi patruo  
parentat. *Ibid.* Belam An-  
dreæ Regis filium ex Hun-  
garia profugum excipit. V.  
Laudatur propterea à Ponti-  
fice. 1224. I. Ad sacrum  
bellum à Cæsare invitatur.  
III. Filiam Margaritam  
Henrico Regi Rom jungit.  
1225. II. Henrico filio  
Agnetem Thuringicam so-  
ciat, & Schardingam ar-  
cem munit. III. Friderico  
filio conjugem tribuit.  
1226. I. In Italiam pro-  
fici sci-

# Rerum Memorabilium.

ficiſcitur. II. Infidiatur ei-  
dem Henricus filius. III.  
Laudatur à Pontifice ob  
Zelum expeditionis Asiati-  
cæ. 1227. VI. Venetias  
proficiſcitur. 1228. I. Boi-  
cam adit, salvusque ex in-  
ſidiis redit. III. Privile-  
gium diadematis regij ab  
Henrico Augusto, aliásque  
prærogativas obtinet. 1228.  
V. Vocatur in auxilium à  
Pontifice contra Cæfarem.  
1229 III. Friderico filio  
conjugem per repudium  
tollit, & in Italiam à Cæ-  
fare invitatus abit. IV. Pa-  
cis negotium inter Cæfa-  
rem & Pontificem feliciter  
inchoat. 1230. II. Moritur  
in Apulia. V.

*Leopoldus* filius Leopoldi  
II. Ducis Styriae nascitur.  
1207. I. præcipiti morte  
rapitur. 1216. IV.

*Leopoldus* primus Vor-  
viensis Præpositus moritur.  
1185. II.

*Lucius* Papa III. eligitur.  
1181. III. Seditione Ro-  
manâ Urbe expellitur.  
1182. I. Cum Friderico I.  
Cæfare conventum Vero-  
næ celebrat. 1184. I. Mo-  
ritur 1185, III.

*Ludovicus* Abbas Runen-  
sis eligitur. 1226. IV.  
*Luitoldus* Præpositus Va-  
raviensis eligitur. 1202. II.  
regimen deponit. 1217.  
IV. Moritur. 1218. I.

## M.

*Manegoldus* Episcopus  
Pataviensis eligitur.  
1205. IV. Moritur. 1215. I.

*Margarita*, Leopoldi II.  
Ducis Styriae filia, Henrico  
Regi Romanorum nubit.  
1225. II. Aquisgrani co-  
ronatur. 1227. III.

*Maria Irene*, Isaacij An-  
geli Cæfaris Orientalis fi-  
lia, Philippo Duci Sueviæ,  
dein Cæsari nubit. 1197. I.  
Moritur. 1208. III.

*Minorum Ordinis* pri-  
mitiæ in Concilio Latera-  
nensi approbantur. 1215.  
III. Monasterium Græcijs,  
& Judenburgi obtinetur.  
1226. IV.

## N.

*Nicolaus* Prior Seizen-  
sis eligitur, 1207.  
IV. Leopoldo I. Duci mi-  
litarem crucis tesseram, à  
Pontifice missam, defert.  
1208. I.

## O.

**O.**

**O**ttmarus Abbas Runensis moritur. 1189. IV.  
**O**tto IV. Imper. discordibus suffragis eligitur. 1198. II. Subsidiis Anglicis destituitur. 1199. I. Cum Adolpho Coloniensi Archiepiscopo colliditur. 1202. I. Philippo profligato Imperium sibi frustra pollicetur. 1203. III. Ab Henrico Palatino fratre desertus Philippum fugit. 1204. I. Prælio vincitur. 1206. II. Occiso Philippo Imperium obtinet. 1208. IV. Beatricem Philippi filiam dicit. 1209. I. Romanæ coronatur. III. Cum Pontifice colliditur. IV. anathemate percellitur. 1210. II. Exauktoratur. 1211. II. In Germaniam redux frustra Imperium retinere conatur. 1212. I. Thuringiam vastat. IV. Cladem in Longobardia, & Germania accipit. 1213. II. Adversus Philippum Franciæ Regem bellans profligatur. 1214. I. Amicho imperio Coloniâ fugit, sequè Brunsvicum recipit. 1215. I. Moritur, 1218. III.

**O**ttocarus I. Dux Styrie inaugurator. 1180. I. & seq. Pacem inter Archiep, Salisb. & comitem Ortenburgicum componit. IV. Seccoviense collegium beneficiis ornat. 1182. II. Matri Chunegundi parentat. 1184. II. Leprâ corripitur. III. Munificus in Voraviense collegium IV. Iteratò in illud, & Carthusiam Seizensem liberalis. 1185. II. Leopoldum I. Austriacum designat hæredem, Ducemque Styrie 1186. II. & seq. Munificus in Admontense cœnوبium. IV. Luitoldi dynastæ Guettenbergici in Gössense monasterium liberalitatem confirmat. 1187. II. Admontensibus binas ecclesiias donat, simûlque in Cistercium Hilariense liberalis est. 1188. II. Cœnobium Millestadiense beneficiis auget. 1189. I. Cistercio Runensi quædam prædia restituit. IV. Parthenoni Traunkircheni imunitatem reddit. 1191. III. Munificus in Seccoviense collegium, 1192. I. Moritur. II.

# Rerum Memorabilium.

## P.

**P**atavienses Episcopi. **V**i-  
de : Dietpoldus, Wolf-  
kerus, Poppo, Manegoldus,  
Udalricus seu Ulricus I. Ge-  
behardus.

**P**hilippus II. Imper. Fri-  
derici I. Cæs. filius, Dux  
Sueviæ Irenem ducit. **II** 97.  
**I**. In Italia percilitatur.  
**IV**. Rex Romanorum di-  
scordibus suffragiis eligi-  
tur. **II** 98. **II**. Argentinam  
occupat, & Trevirensim  
Archiepisc. in suas partes  
attrahit, **II** 99. **I**. Ab Ot-  
tonianis profligatur. **II** 03.  
**I** Ottoneum fugat, **II** 04. **I**.  
Bohemum, & Thuringum  
vincit, sibique Adolphum  
Coloniensem jungit, **IV**.  
Aquisgrani Rex coronatur.  
**II** 05. **I**. Ottoneum præ-  
lio superat. **II** 06. **II**. Co-  
loniam Agrippinam dedi-  
tione accipit, **III**. Pontifi-  
cis gratiam implorat, **II** 07.  
**I**. Bambergæ occiditur.  
**II** 08. **II**. Elogium ejus-  
dem. **III**.

**Pilegrini** Episcopi Patav.,  
& Archiepisc. Laureacensis  
sepulchrum miraculis in-  
clarescit, **II** 81. **II**.

**Pilegrinus** II. Patriarcha  
Aqüileja moritur, **II** 04. **I**.

**Poppo** Episcopus Patav.,  
eligitur. **II** 04. **I**. Moritur.  
**II** 05. **IV**.

**Prædicatorum** Ordinis  
primitiæ in Generali Con-  
cilio Lateranensi approban-  
tur. **II** 15. **III**. Petovij in  
Styria monasterium erigi-  
tur. **II** 30. **I**.

**Pranekense** castrum ab  
Henrico dynastâ ejusdem,  
Seccoviensi Collegio do-  
natur. **II** 07. **III**.

## R.

**R**omani Pontifices. Vide:  
Alexander III. Lucius  
III. Urbanus III. Grego-  
rius VIII. Clemens III.  
Cœlestinus III. Innocen-  
tius III. Honorius III.  
Gregorius IX.

**Rudiger** Abbas Admonti  
eligitur. **II** 02. **III**. Mo-  
ritur. **II** 05. **IV**.

**Rudolphus** II. Abbas Ada-  
montensis eligitur. **II** 89.  
**III**. Moritur. **II** 99. **III**.

**Rudolphus** I. Imper. Au-  
gustæ Domus Habsburgos  
Austriacæ conditor nasci-  
tur. **II** 18. **III**.

**Ruvenses** Abbates. Vide:  
Ottinarus. Wilhelmus.  
Conradus. Theodoricus.  
Engelbertus. Ludovicus.

# Index

S.

**S**tainzense collegium  
Can. Regul. S. August.  
fundatur. 1229. V.

**S**alisburgenses Archi-  
Episcopi. *Vide*: Conradus  
III. Adalbertus II. Eber-  
hardus II.

**S**eccoviensis Episcopatus  
in *Styria* erigendi faculta-  
rem Eberhardus II. Archi-  
Episcopus Salisburgensis  
postulat. 1217. V. Hono-  
rius III. per bullam Ponti-  
ficiam annuit. 1218. IV.  
Fridericus II. Imper. eun-  
dem suo diplomate firmat.  
V. Primus episcopus *Ca-*  
*rolus* eidem præficitur 1219  
I. Theodora Leopoldi Du-  
cis consors deluper apud  
Pontificem queritur. II.  
Redux ex Oriente Leopol-  
dus annutum Eberhardo  
præbet. V

**S**eccovienses Præpositi.  
*Vide*: Wernherus. Ge-  
roldus. Hezmannus. Go-  
defridus.

**S**eizensis Carthusiæ Prio-  
res. *Vide*: Beramundus,  
Joannes I. Nicolaus.

**S**tribenbergicus dynasta  
*Ulricus* sacræ militiæ se ac-  
cinctit. 1216. II. *Wulfin-*  
*gus* in Monasterium Peto-

viense Ordinis Prædicato-  
rum beneficuſ 1230. I  
**S**tyria in Ducatum eri-  
gitur. 1180. I. & seq. Ejus-  
dem jura, & privilegia.  
1186. III. Cellæ Marianæ  
exordiis beatuſ 1200. IV.  
Terræ motu quatitur 1201.  
II. Nives decidentes in  
sanguinem vertuntur. 1223.  
I. Pestis animalium per  
eandem grassatur. 1224.  
IV.

**S**tyria Duces, *Vide*: Ot-  
tocarus I. Leopoldus I. & II.

T.

**T**heodoricus Abbas Ru-  
nenſis eligitur. 1205.  
IV. Successorem habet  
*Engelbertum*. 1216. II.  
*Tentonieorum equitum*  
ordo nascitur. 1191. I.

V.

**V**dalricus II. Patriarcha  
*Aquilejen.* moritur.  
1182. I.

*Udalricus*, seu *Ulricus* II.  
Episcopus *Patav.* eligitur.  
1215. I. Redux ab Orien-  
te moritur. 1221. V.

*S. Virgilij* Episc. *Salisb.*  
sepulchrum reperitur, &  
miraculis inclarescit. 1181. I.  
*S. Vitalis* Episc. *Salisb.*  
sepulchrum miraculis ful-  
get. 1181. II.

Vora-

# Rerum Memorabilium.

Voravienses Præpositi.  
Vide: Leopoldus. Bernardus. Luitoldus. Henricus I. Bernoldus.

Urbanus III. Papa eligitur. 1185. III. Cum Friderico I. Cæsare colliditur. 1186. I. Cistercij Rennen sis privilegia confirmat. IV. Moritur. 1187. III.

## W.

Ernherus primus Præpositus Seccov. moritur. 1196. III.

Wichpoto Abbas Admont. eligitur. 1226. IV. Moritur. 1229. V.

Wildonius dynasta Luitoldus, fundator collegij Stainzensis Canon. Regul. S. Augustini. 1229. V.

Wilhelmus Abbas Rennensis eligitur. 1189. IV. Moritur. 1195. IV.

Wolffkerus Episcopus Pataviensis eligitur. 1191. I. Salisburgi consecratur. III. Fit Patriarcha Aquilejæ. 1204. I. Philippi Cæsaris Legatum apud Pontificem agit. 1207. I. Ottoneum Cæsarem Romanum comittatur. 1209. II. Ecclesiæ Aquilej. privilegia à Friderico Cæsare eidem confirmantur. 1214. I. Moritur. 1218. III.

Wolframus Abbas Admontensis eligitur. 1205. IV. Regimen deponit. 1207. IV.

# F I N I S.





